

DISPUTATIO II

DE SCIENTIA THEOLOGIÆ

ARTICULUS I

*Quomodo inter se comparentur
fides, theologia et sacra doctrina,
et loquatur Divus Thomas.*

1. **P** RIMUM quod se offert investigandum circa scientiam theologiæ, est id quod pertinet ad ejus necessitatem : de qua agit Div. Thomas in hac quæstione (art. 1) sub nomine sacræ doctrinæ. Cum autem theologia sit cognitio quæ ratiocinatur de Deo, oportet concurrere ad ipsam, aliquam cognitionem per modum principiorum, et ex eis aliam cognitionem educi per modum conclusionis : sicut in omni scientiâ et in omni cognitione probativâ requiruntur principia, ex quibus per consequentiam infertur conclusio. Est autem differentia inter theologiam naturalem, quæ est metaphysica, et theologiam christianam, quod in theologia naturali quidquid cognoscitur de Deo, se habet per modum conclusionis et non per modum principii : sed effectus Dei, et creaturæ, se habent per modum principii; eo quod non possumus naturali scientia ad Deum assurgere nisi ex creaturis, juxta quod dicit Apostolus (Rom. I, 20) quod *invisibilia Dei per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur*. At vero theologia christiana ita agit de Deo et veritatibus divinis, quod pro principiis assumit non creaturas, sed ipsum Deum et veritates divinas, ex quibus ratiocinando procedit. Unde necesse est quod in ista vita procedat theologia ex creditis : quia de Deo in se ipso non

possumus cognoscere aliquid nisi per revelationem divinam, et non ex creaturis; de Deo autem in se, solum datur duplex revelatio : scilicet per visionem claram in patria, et per obscuram, qualis est fides in via. Ex fide ergo sumit principia theologia pro hac vita, ad inferendum suas conclusiones, et ratiocinandum de Deo : ita quod fides respicit immediate revelata, theologia autem illata ex illis, quæ dicuntur revelata mediate seu virtualiter.

2. Ex his colligitur, quomodo inter se comparentur fides, theologia, et sacra doctrina. — Nomine enim doctrinæ (ut dicitur I *Poster.* c. 1; et explicatur ibi a D. Thoma, lect. 1) intelligitur quæcumque cognitio probativa : quæ in docente nominatur doctrina, in addiscente vero disciplina. Unde ad rationem doctrinæ requiritur id quod ad probativam cognitionem : scilicet aliquid per modum principii inferentis seu probantis, et aliquid per modum conclusionis illatæ et probatæ. Unde patet, quod nomine sacræ doctrinæ intelligitur cognitio probativa ex revelatis : hæc enim dicitur cognitio sacra; et ita quæ per cognitionem revelatam probantur, nomine sacræ doctrinæ intelliguntur, sive probatio fiat probabiliter, sive scientificè : ab hoc enim abstrahit. — 3. Nomen autem fidei proprie non intelligitur

ed. Bekker
71 a 1, sqq.

¹ Id est, *revelatio*.

² Ita omnes || Melius forte legeretur : *nomine*.


cognitio probativa, quæ nomine doctrinæ appellatur; quæ enim fide tenentur, non probantur, sed revelantur a Deo, et testimonio ejus atque auctoritate tenentur, juxta illud (Mat. xvi, 17) : *Quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus qui in cælis est*; et ita fides respicit ea quæ formaliter et immediate revelata sunt. — Nomine vero theologiæ intelligimus, non solum doctrinam probativam in communi, sed proprie et in rigore scientiam ratiocinatam de Deo, ex his quæ revelata sunt. Et ita respicit ea quæ sunt virtualiter et mediate revelata, id est, ex formaliter revelatis deducta.

4. Sic ergo comparantur hæc tria, fides, theologia, doctrina sacra, quod fides dicit cognitionem circa res divinas, ut immediate revelatas obscure; et sic præbet principia theologiæ, et comparatur ad ipsam sicut lumen principiorum ad scientias naturales. Theologia autem est cognitio scientifica, seu certa, procedens ex formaliter revelatis, et inferens ea quæ mediate¹ et virtualiter revelata dicuntur, tamquam deducta, et connexa cum revelatis formaliter. Sacra autem doctrina dicit quamcumque cognitionem probativam ex revelatis a Deo, etiam probabiliter, quamvis communi usu loquentium sumatur pro doctrina probativa certo et scientificè : et sic est idem quod theologia.

5. Ex his elicies, quid nomine sacræ doctrinæ intelligat D. Thomas articulo primo, cum inquit an sit necessaria præter philosophicas disciplinas. Intelligit enim nomine doctrinæ sacræ cognitionem probativam, et illativam conclusionum ex creditis per fidem; sed nomine doctrinæ eam nominat, non scientiæ seu theologiæ, quia postea de ipsa probaturus est quod sit scientia (in art. 2). Unde non debebat supponere, quod postea debebat inquirere; sed nomine generico doctrinæ usus est, ut universaliori modo probaret necessitatem theologiæ ex genere suo. Quod vero nomine doctrinæ intellexerit cognitionem pertinentem ad theologiam, constat : tum quia eam doctrinam quam dicit necessariam, appellat scientiam in argumento *Sed contra* ubi² dicit « et aliam scientiam esse divinitus inspiratam », et (in solutione ad 2, ibi) « de eisdem rebus aliam scientiam tractare secundum quod cognoscuntur lumine divinæ revelationis »; tum quia alias diminutus fuisset D. Thomas in quæstione in qua agit de theologia, et non de fide, nec de

aliquo abstrahente a fide et theologia, prætermittere necessitatem theologiæ, et agere de necessitate fidei de qua acturus est suo loco (id est, II-II q. 2, a. 3).

⁵_{bis}. Nec obstat, quod ratio D. Thomæ probat esse omnibus necessariam cognitionem finis ultimi, quæ utique non per probationem habetur aut scientiam, sed per fidem; unde ergo infert S. Thomas necessariam esse theologiam, quia necessaria est cognitio finis ultimi? Ad hoc enim sufficit cognitio revelata per fidem, et ratio id probat; quia theologia non est omnibus necessaria ad salutem, sed sufficit fides : ratio autem D. Thomæ probat de necessario ad salutem. — Respondetur : D. Thomam compendio et virtualiter probasse necessitatem theologiæ ut est doctrina, ostendendo necessitatem cognoscendi veritatem supernaturalem, quæ non potest attingi per philosophicas disciplinas; nam hoc ipso quod nobis necessaria est aliqua veritas revelata, necessaria erit aliqua probatio et discursus circa illam : alias non posset declarari, nec defendi. Hoc ergo tamquam per se notum et facile reliquit D. Thomas, et solum probavit primum, in quo est difficultas, scilicet quod talis veritas revelata formaliter sit necessaria : inde enim probavit, quod etiam virtualiter revelata erit necessaria seu utilis. Ad rationem dicitur theologiam non esse præcise necessariam ad salutem, sed ad declarandam et defendendam fidem quæ est necessaria ad salutem. Itaque ex necessitate fidei simpliciter probatur utilitas theologiæ, et necessitas : non pro singulis eodem modo, sed pro communitate, et pro omnibus suo modo. Requiritur enim theologia pro omnibus, sed non ut existat in omnibus : sed in sapientibus, ut existens : in aliis, ut dirigantur a sapientibus; sicut pro omnibus requiritur gubernatio principis, in eo architectonice, in aliis ministerialiter et ut in regulatis.



¹ MG *mediate* : recte || LCP *immediate* : mendose.

² Omnes : *ibi* : forsitan tolerabile.

ARTICULUS II

An requiritur ad theologiam fides supernaturalis?

1. SUPPONENDUM est ex II-II, in materia de fide, quod de rebus divinis et supernaturalibus possumus habere fidem, non solum infusam et supernaturalem, sed etiam acquisitam et humanam; quia possumus credere rebus divinis propter motivum aliquod humanum acquisitum, sicut contingit in hæretico, qui discrepando aliquem articulum fidei, reliquos articulos credit fide humana seu acquisita: quia non innitur motivo divino, prout a Deo proponitur infallibiliter mediante Ecclesia, sed prout sibi videtur ex iudicio proprio, quod est fallibile; sufficit autem ad fallibilitatem assensûs, quod ex aliqua parte, v. g. ex parte proponentis, possit dubitare de certitudine rei propositæ. Similiter potest aliquis credere rebus divinis et supernaturalibus, non quia Deus dixit, quem non videt, sed quia sic accepit a parentibus vel audivit a sapientibus, quos videt: et tunc credit propter motivum naturale, scilicet auctoritatem humanam. Inquirimus ergo, an sufficiat ad veram theologiam cognitio rerum supernaturalium habita per fidem humanam acquisitam, an vero requiratur habita per fidem infusam: ita ut illâ amissâ, amittatur theologia.

¹ bis. IN HAC DIFFICULTATE EST SENTENTIA P. VAZQUEZ (circa art. 1, in dubitatione textus; et disp. 5, cap. 3), quod ad theologiam non requiritur assensus fidei supernaturalis et infusæ, sed quod est scientia acquisita ex articulis humanâ fide creditis. — *Fundamentum potest esse triplex. Primo*: quia in hæretico non manet fides supernaturalis; et tamen manet vera theologia; ergo theologia ex sua formali ratione non dependet a fide infusa. Majorem admittimus; et minor constat: quia assensus hæretici circa conclusiones theologicas non est opinativus, cum sine formidine assentitur sicut antea: ergo non pertinet ille habitus ad opinionem: ergo est certus et scientificus, sicut antea. — Confirmatur: quia ex sola amissione fidei supernaturalis non potest destrui theologia quæ erat in homine fideli, siquidem infidelitas non opponitur theologiæ, sed fidei; et simi-

liter si hæreticus fiat fidelis sine alia mutatione intrinseca, habet theologiam sicut antea; ergo ille habitus theologiæ manet idem in hæretico, qui erat in homine fideli. Antecedens probatur: quia theologia non sequitur naturaliter ad fidem, sed per discursum acquiritur; ergo ex eo præcise quod tollatur fides, non destruitur habitus theologiæ, quia illi non opponitur infidelitas. Similiter, restitutâ fide, non immediate et naturaliter sequitur habitus theologiæ; et tamen ille, qui ante in hæresi habebat theologiam, vere manet theologus; ergo signum est, quod habitus theologiæ non fuerat amissus. — Si dicatur, quod in hæretico manet habitus theologiæ quantum ad qualitatem et entitatem, sed non quantum ad statum et denominationem scientiæ: Contra est: tum quia jam theologia secundum essentiam et essentialem certitudinem non pendebit a fide infusa: vel si dependet, mutabit essentialem rationem, cum illa certitudo mutetur; tum etiam quia hæreticus mediante theologia elicit assensum circa conclusiones, quas non negat: ergo habet exercitium ille habitus sicut antea: ergo oportet assignare speciem tali assensui: non opinativum¹, quia assentitur sicut ante: ergo scientificum; et sic frustra dicitur manere habitum quoad entitatem et non quoad statum, cum difficultas currat in ipso actu, in quo non possumus hoc distinguere.

2. *Secundum fundamentum* est: quia theologia nostra est scientia naturalis et acquisita, ut infra ostendemus; ergo oportet quod ratio ejus formalis sit acquisita et naturalis; sed ratio formalis scientiæ sumitur ex principiis; ergo principia theologiæ non sunt res creditæ per fidem infusam et supernaturalem, sed per fidem acquisitam et naturalem, qua possumus uti cum volumus: ad fidem autem infusam indigemus auxilio supernaturali, quo utique non indigemus ad theologizandum. — Confirmatur: quia habitus principiorum causant² in nobis habitum scientiæ; fides autem supernaturalis non causat theologiam; ergo non est habitus principiorum respectu illius.

¹ Omnes: non opinativum... ergo scientificum; id est: non opinativus est iste habitus... ergo scientificus.

² Ita omnes || Forte legendum: causat.

Major est certa, quia assensus conclusionis deducitur ex lumine principiorum, in quo radicatur tamquam in seminario scientiarum. Minor probatur : quia habitus supernaturales non causant in nobis habitus naturales, neque sunt radix illorum; theologia autem est habitus naturalis; ergo non radicatur in fide infusa.

3. *Tertium fundamentum* est : quia theologia nostra est per se subalternata scientiæ beatæ; fidem autem solum requirit pro statu in quo non continuatur suæ subalternanti; ergo fides non deservit ut præbens principia per se theologiæ, sed ut supponens illa, sicut etiam in aliis scientiis subalternatis quamdiu non continuantur subalternantibus, utuntur principiis suis, ut creditis et præsuppositis in altiori scientia : ad hoc autem sufficit quæcumque fides, quia sufficit præsupponi quod dentur talia principia; ergo non est necesse ad theologiam ponere fidem supernaturalem, sed sufficit illa fides quæ præsupponat dari talia principia supernaturalia in superiori scientiâ beatorum.

4. **OPPOSITA SENTENTIA OMNINO TENENDA EST** : quod scilicet vera theologia requirat pro principiis ea quæ sunt credita per fidem infusam; nec possunt ullo modo comparari inter se theologia hæretica et theologia catholica, etiam in his quæ hæreticus non negat. — De hac sententia videri potest Magister Navarrete (hic, controv. 2), et Magister Gonzalez (disp. 1, concl. 2*) : et est communis inter auctores, præsertim Thomistas. — *Deducitur primo* ex D. Thoma, qui (in hac quæst. art. 5) comparans certitudinem hujus scientiæ cum aliis, dicit quod « aliæ scientiæ certitudinem habent ex naturali lumine rationis humanæ, quæ potest errare; hæc autem certitudinem habet ex lumine divinæ scientiæ, quæ decipi non potest ». Et (art. 4) docet « theologiam extendi ad diversas scientias philosophicas propter rationem communem, prout sunt divino lumine cognoscibiles ». Ergo ratio formalis theologiæ sumitur ex lumine divino, habente talem certitudinem quod errare non potest : hoc autem solum convenit fidei divinæ infusæ, fides enim acquisita innititur principio et motivo fallibili; ergo non potest theologia in illo fundari. — *Deducitur secundo* ex eodem Div. Thoma, qui (in hoc art. 2, in argumento *Sed contra*) docet ex D. Augustino « theo-

logiam esse scientiam, qua fides saluberrima gignitur, nutritur, defenditur, roboratur »; et ibidem* docet theologiam nostram subordinari scientiæ Dei et beatorum, in quibus habet suam infallibilitatem, et sic inniti principiis notis lumine superioris scientiæ. Sed theologia, quæ innititur fide acquisitâ, qualis est in hæretico ex proprio arbitrio, non potest defendere aut roborare fidem catholicam : quia in modo procedendi opponitur regulæ catholicæ fidei; similiter cum innitatur fides acquisita motivo fallibili et creato, non potest per se subordinari et continuari lumini divino, quod est omnino infallibile. Ergo theologia nostra non potest accipere principia ex fide acquisitâ.

5. *Deducitur tertio* ex ratione : Quia variatio certitudinis et incertitudinis circa principia alijus scientiæ non potest non variare talem scientiam et corrumpere : ex principiis enim incertis solum potest deduci habitus opinativus, utpote incertus; ex principiis autem certis per bonam consequentiam deducitur cognitio certa et scientifica, quæ non est opinativa. Sed theologia nostra in catholico deducit conclusiones ex fide catholica, quæ omnino est certa; in hæretico autem non est fides catholica, sed acquisita, quæ incerta est. Ergo tales cognitiones theologicæ plusquam specie differunt. Consequentia est nota, et minor est certa. Major autem ex eo constat : quia certitudo principiorum et incertitudo non potest non communicari conclusionibus, siquidem totum lumen et probatio seu manifestatio conclusionum ex principiis desumitur; lumen autem certum quale est fidei divinæ, et lumen incertum qualis est fides acquisita, differunt plusquam specie : præsertim cum fides infusa sit supernaturalis ordinis, ista ordinis naturalis; ergo scientia quæ innititur uni, et [quæ] alteri, debe[n]t¹ distingui inter se plusquam specie. — Nec dici potest, quod etiam theologia fidelium non innititur fide infusâ, sed solum acquisitâ, quia communiter ad theologizandum non recordamur fidei infusæ, neque elicimus actum illius : Respondetur enim, quod licet non semper actu credamus fide infusâ quando theologizamus, præsuppositive tamen et virtualiter fide infusâ credimus : quia ex adhæsione et certitudine in nobis manente ex rebus creditis per fidem procedimus ad conclusiones : et sæpe etiam eas reducimus

¹ Omnes : ergo scientia, quæ innititur uni, et alteri, debet distingui inter se, etc. : eadem quippe sententia, at tantâ in

dicendo brevitate ut oportuerit, ad obscuritatem tollendam, aliquid suppleri.

ad loca Scripturæ, vel definitiones Ecclesiæ, quas per fidem infusam actu credimus. Quod si nec actualiter, nec præsuppositive credimus fide infusâ, hoc ipso non procedimus theologicè, quia nec certo et infallibiliter : quando autem sic procedimus, ut reducere possimus probationes ad fidem infusam et supernaturalem, licet actu non credamus, certo procedimus; sin minus, incerto et opinative.

cf. supra,
p. 349, n. 1^{bis}

6. *Ad primum fundamentum* in principio positum, negatur minor; et ad probationem respondetur assensum theologicum hæretici esse opinativum ex intrinseca ratione sua et motivo formali, licet non sentiat formidinem in illo assensu propter adhæsiōnem pertinacem ad propriam sententiam; non enim ipse credit rebus illis fidei quas non negat, ex motivo infallibili et universali, sicut fides catholica : sed ex proprio arbitrio, quia sic sibi videtur acceptandum unum et rejiciendum aliud. Unde etiam in his quæ non discredat, non habet firmiter motivum quam proprium arbitrium et proprium sensum, quod totum ab intrinseco est fallibile : licet ex adhæsiōne et pertinacia ad suum proprium sensum et arbitrium, sine ulla formidine videatur sibi assentiri, sive his quæ credit, sive his quæ discredat.

* cf. supra,
p. 349, n. 1^{bis},
Si dicatur

7. *Ad confirmationem* respondetur : aliquos juxta solutionem ibi * assignatam sentire, quod in hæretico non corrumpitur habitus theologiæ essentialiter et intrinsece, sed quoad statum et denominationem : de quo videri potest Magister Navarrete (hîc, contr. 3, § 2, ad 5 et 6). — Sed oppositum tenendum est : quia mutatio scientiæ ex parte principiorum (penes certitudinem et incertitudinem, supernaturale vel naturale lumen) est mutatio essentialis et intrinseca, et non solum quoad statum accidentalem : quia est mutatio in ratione formali et specifica, quæ desumitur ex diverso lumine principiorum. Unde non potest manere habitus theologiæ entitative : sicut cadaver, quod veniente forma vivificatur. Nam theologia non est aliquid in substantia sua constans ex materia et forma, sed qualitas quædam : quæ amissâ ratione essentiali specificâ corrumpitur totaliter, sicut calor sublatâ ratione ejus intrinsecâ desinit totaliter. Illa autem similitudo cadaveris, in fide mortua et similibus, tenet quando destruitur in eis aliquis ordo accidentalis superadditus perficiens, et quasi vivificans : sicut in fide ordo ad caritatem, qui accidentalis est, et statum perfectionis et ordinem ad finem ei præbet. Unde non est simile de virtu-

tibus acquisitis : quia remotâ prudentiâ a qua diriguntur, adhuc potest manere virtus acquisita quoad entitatem habitûs, licet non quoad statum virtutis. Dicitur enim, quod hoc ideo est, quia prudentia non præbet finem et rationem formalem virtutibus, sed determinat et applicat electionem medii hîc et nunc in particulari : quod non pertinet ad rationem formalem sed ad exercitium virtutis, sicut influxus logicæ se habet ad scientias. Esset autem simile, si mutarentur principia practica virtutum a quibus deducuntur v. g. synderesis : eâ enim mutatâ, omnino mutarentur virtutes. Sic variatis principiis scientiarum, omnino variatur essentialis earum ratio, et non solum status. Unde potius admitterem, quod ablatâ fide in hæretico manent saltem ad breve tempus duo habitus theologiæ specie diversi : alter qui prius erat ex fide catholica genitus et non statim corrumpitur ex ablatione fidei, alter qui ab hæretico generatur ex fide acquisita qua solum credit : quam quod admitterem unam et eandem theologiam deservire catholico et hæretico; licet apparenter et similitudinarie videatur eadem, quia versatur circa idem objectum materiale, et secundum easdem species coordinatas; et videtur sibi firmiter adhærere sicut antea, licet ex intrinseca ratione motivi hæreticus firmus non sit in theologia.

8. Respondemus ergo : amisso habitu fidei in hæretico non amittitur per illam infidelitatem theologia formaliter et immediate, quia infidelitas immediate non opponitur theologiæ, sed fidei : excluditur autem causaliter et mediate, quia remotis principiis removetur scientia quæ ab illis dependet; et generatur habitus theologiæ opinativus, vel erroneus, qui formaliter excludit theologiam veram. Cum autem restituitur fides in hæretico, non restituitur theologia immediate et formaliter, sed causaliter vel radicaliter : restitutis enim principiis certis, potest rursus elicere assensus certos et infallibiles circa conclusiones, et tunc generatur de novo vera theologia. Hoc autem facillime fit et quasi insensibiliter, quia licet fides tollatur aut restituatur hæretico, manent tamen eodem modo dispositæ et ordinatæ species in memoria : in quarum ordinatione est tota difficultas acquirendi scientias. Unde illâ ordinatione positâ, seu non amissâ, facile acquiritur scientia quantum ad id quod est luminis et certitudinis ex principiis deductæ.

9. *Ad secundum fundamentum*. * latius dicemus infra **, ostendendo quod theologia sit scientia

* cf. supra,
p. 349, n. 2
** art. 8,
n. 3, sqq.

naturalis et acquisita formaliter : licet radicaliter et virtualiter supernaturalis sit, quatenus resolvit in principia supernaturaliter credita, licet modo naturali et acquisito per discursum : et sic ejus ratio formalis non est aliquid pure naturale, sed radicaliter supernaturale, seu virtualiter revelatum, quod modo naturali per discursum deducitur. Unde non requiritur auxilium supernaturale ad eliciendum formaliter actum theologiæ, quia naturalis assensus est; sed præsuppositive requiritur auxilium supernaturale, quia præsupponit actum fidei ad quem requiritur auxilium supernaturale : et ita ad theologiam non pertinet formaliter attingere articulos fidei, sed præsupponere, sicut scientiæ præsupponunt habitum principiorum.

10. Ad confirmationem respondetur, quod habitus principiorum causat habitum scientiæ non per se solum, sed mediante discursu ad quem principaliter concurrat intellectus, deducendo tamen illum ex principiis (ipse enim habitus principiorum discursivus non est). Et hoc modo non repugnat quod habitus fidei concurrat ad habitum naturalem producendum, non quidem se

solo, sed mediante discursu seu revelatione virtuali, quæ ex his quæ in fide formaliter revelantur deducitur; et sic in eo participative invenitur fides, quatenus præbet principia ad discurrendum : sed discursus ipse et assensus inde deductus, naturalis est.

11. *Ad tertium fundamentum* * dicemus etiam infra ** tractando de subalternatione theologiæ ad scientiam beatam. Interim dicimus, quod in scientia subalternata naturali, licet sufficiat præsupponere principia scientiæ subalternantis, ut credita : tamen saltem debet certo cognoscere dari talem scientiam subalternantem, et quod principia hæc quæ præsupponit, illius scientiæ sunt : licet nondum sciat illa probare et resolvere. Hoc autem non potest theologia nostra certo cognoscere nisi per fidem supernaturalem; quia quod ista principia, quæ supponit et credit, sint a Deo dicta, et consequenter ab eo cognita evidenter et a beatis qui Deum vident : non potest certo haberi nisi per fidem supernaturalem; et sic non sufficit quæcumque fides, sed illa quæ præsupponit certo talia principia pertinere ad scientiam Dei et beatorum.

* cf. supra
p. 350, n.
** art. 3
nn. 8, 14

ARTICULUS III

Utrum theologia sit proprie scientia?

1. **P**ROCEDIT difficultas tam de theologia nostra viatorum, quæ ex principiis fidei deducit conclusiones, quam de theologia quæ est in patria, quæ deducit suas conclusiones ex his quæ clare videt in Deo. Nam circa primam theologiam, deest evidentia quæ requiritur ad scientiam; et si forte innitatur fidei acquisitæ, etiam deerit certitudo. In theologia autem patriæ deest discursus, quia eodem actu videtur Deus et res in Deo.

2. Propter hæc derivatæ sunt *duæ principales sententiæ* circa hanc difficultatem. — Nam quidam tenent theologiam non esse proprie scientiam, præsertim in nobis viatoribus. Ita Valentia (hic, q. 1*, puncto 3); Vazquez (disp. 4); Arrubal (disp. 2, c. 6); et Vazquez etiam negat theologiam beatorum esse scientiam, propter defectum discursûs. Molina etiam (in hac quæst. art. 2, disp. 1, concl. 2) licet theologiam dicat esse scientiam, eo tamen modo dicit esse quo fides, scilicet quia est cognitio certa. — Alia

sententia tenet esse vere et proprie scientiam. Hanc sequuntur communiter Thomistæ, ad hanc primam partem, quæst. 1, art. 2 : ubi videri potest Cajetanus, Bañez, Zumel, Gonzalez (disp. 1*), Navarrete (contr. 4**), Cano (*XII de Locis*, c. 1).

3. *Supponimus* theologiam prout in nobis non esse evidentem, licet sit certa. Cujus ratio est, quia pro hoc statu theologia non resolvit in principia evidentia, sed solum certa, scilicet in veritates creditas per fidem; evidentia autem scientiæ sumitur ex evidentia principiorum, in quæ resolvit. — Neque obstat, quod in theologia datur evidentia de bonitate consequentiæ et discursûs; vel quod etiam reducit conclusiones suas in illud principium : *Quidquid Deus dicit, est verum*, quod utique est principium evidens. Nam primum non sufficit ad rationem scientiæ : siquidem non est evidentia veritatis, sed bonitatis consequentiæ et formæ arguendi; hæc autem etiam potest inveniri in materia probabili et opinativa. Secundum autem etiam non sufficit : quia

* conclus.
** præsertim
§ 1 et 4

* disp. 1,
puncto 3, § 1

theologia non resolvit conclusiones in illud principium tantum, sed [procedit] ex ipsis veritatibus revelatis, de quibus non constat evidenter quod sint a Deo dictæ et revelatæ. Immo, licet hoc constaret, adhuc illæ veritates non essent simpliciter evidentes in ratione sui, sed solum essent evidentes ut dictæ seu testificatæ : cum quo compatitur veritatem ipsam in se esse obscuram, ut latius tractari solet II-II in materia de fide. Quia tamen theologia nostra resolvit in principia certa (quia fides certissima est), ideo theologia ipsa est certa, sed non evidens.

4. **DICO ERGO PRIMO** : Theologia prout in beatis, vere et proprie est scientia. — *Ratio est manifesta* : quia illa theologia versatur circa conclusiones deductas ex principiis certis et evidentibus per bonam consequentiam; ergo est vere et proprie scientia. — Consequentia est certa : quia talis cognitio non est opinio, aut aliqua alia cognitio incerta : neque est cognitio principiorum, cum sit illativa ex principiis; ergo est scientifica : ad scientiam enim nihil amplius requiritur, quam quod sit cognitio certa et evidens per illationem. — Antecedens probatur : quia illa principia quæ modo cognoscimus per fidem ex quibus inferimus conclusiones theologicas, in patria videntur clare per visionem gloriæ; ergo utitur principiis evidentibus et certis beatus ad inferendas conclusiones, quas hîc inferbat ex principiis creditis. Quod vero deducat illas conclusiones per consequentiam, patet : nam beati possunt loqui et illuminare alios de his quæ vident in Deo, ut faciunt Angeli (sicut dicitur I P. q. 106, a. 1) : illuminando tamen alios extra Verbum, quia ad videndum intra Verbum non possunt aliquem meliorare et illuminare in cognitione. Si ergo de visis in Deo possunt illuminare ad extra, etiam possunt consequentias et discursus formare extra Verbum, sicut ex aliis principiis evidentibus notis. Ad hæc : ad scientiam proprie et in rigore, non requiritur discursus formalis, et ex parte subjecti : qui est imperfectus; sed sufficit eminentialis, et ex parte objecti : sicut salvatur in Angelis, immo in ipso Deo, vera et propria scientia, sine imperfectione vel metaphora; unde dicitur (Rom. XI, 33) : *O altitudo divitiarum scientiæ et sapientiæ Dei*; et (Col. II, 3) : *In quo sunt omnes thesauri sapientiæ, et scientiæ Dei*; ergo sufficienter salvatur scientia et theolo-

gia in beatis, etiamsi non sit discursus formalis. Ac denique, scientia infusa in Christo etiam comprehendit theologiam qua deducebat conclusiones ex visione beata; et tamen illa scientia erat collativa de se quantum ad usum, licet non quantum ad acquisitionem, ut docet D. Thomas (III P. q. 11, a. 3); ergo potest salvari theologia cum toto rigore scientiæ, cum discursu et consequentiâ, in beatis.

5. **DICO SECUNDO** : Theologia etiam in nobis est proprie et substantialiter scientia, licet habeat statum imperfectum sicut scientia subalternata, quamdiu non continuatur cum subalternante. — Hæc conclusio sine dubio est de mente D. Thomæ, licet Pater Arrubal (ubi supra *) velit oppositum esse ipsius sententiam : eo quod D. Thomas requirit ad rationem scientiæ evidentiam, et ex eo negat fidem non posse esse simul cum scientia, quia ista evidens est (ut patet II-II q. 1, a. 5). Sed mirabile est, quod D. Thomas quatuor locis tractet ex professo istam quæstionem an theologia sit scientia, et in omnibus resolvat affirmative, et ponat illudmet argumentum quo oppositi auctores ducuntur, illudque solvat : et tamen velint illi auctores dicere, quod de mente D. Thomæ est quod theologia non sit scientia. Hoc autem constat ex D. Thoma in hac quæst. 1, art. 2; et in I *Sent.*, q. 1 Prologi, a. 3, q^{1a} 2; et in I *ad Annibald.*, Prolog. q. 1, a. 1; et in opusc. 70*, q. 2, a. 2, ubi ad longum videri potest; idque probat ex Augustino, XII *de Trinitate***, ubi scientiam vocat theologiam : et ex illo (I Cor. VIII, 7) : *Non omnium est scientia*; et solvit argumenta in contrarium, et specialiter illud de evidentia et resolutione in principia per se nota, quo oppositi auctores moventur. — Quod si dicas D. Thomam solum dicere quod theologia sit scientia, non simpliciter, sed secundum quid et cum addito : scilicet quod sit scientia subalternata, quæ non resolvit in principia evidentia : Respondetur nos etiam hoc ipsum dicere; sed tamen esse scientiam subalternatam non tollit quod sit vera scientia : sicut perspectiva, quæ subalternatur arithmeticæ; sed dicitur *secundum quid* quantum ad statum ex parte scientis quamdiu non continuatur cum subalternante, ut infra dicemus. Et quidem S. Thomas docet theologiam esse digniorem reliquis scientiis naturalibus (in art. 5), et esse

* MG non posse || LCP omittunt non, et recte quidem, si ad compertioris locutionis leges attendas; sed mos est auctori nostro

inveteratus post verbum *negare* particulam negantem, plane superfluum, interponere : de quo agimus in Prefatione.

* id est : in I Part. disp. 2, c. 6

* id est : in Boet. d. Trinit. ** XIV de Trinit. c. I n. 3; Pl. 42, 1037

sapientiam, et maxime sapientiam (in art. 6), quod est esse excellentissimam scientiarum. Quomodo autem stat, quod theologia sit maxime sapientia et dignior omnibus aliis scientiis, si solum est scientia secundum quid, et non vere et essentialiter, quia subalternata est? Nam si in sua essentia et specie, scientia non est, remanebit ergo habitus opinativus seu non scientificus; atque adeo non poterit esse dignior omnibus scientiis, si necdum ad rationem scientiæ pertingit. Et si scientia subalternata essentialiter et vere non est scientia, erit ergo opinio vel aliquid simile; ergo non poterit continuari et perfici per scientiam subalternantem, quæ evidens est, recipiendo ab ea evidentiam.

6. FUNDAMENTUM autem HUIUS CONCLUSIONIS duplici via sumitur. — *Primo*, dicendo quod de ratione scientiæ non est evidentia, sed solum certitudo; nam Aristoteles in definitione scientiæ non posuit evidentiam sed certitudinem, cum dicit quod « scire est cognoscere causam, ob quam res est, illius causam esse : et fieri non posse¹ ut aliter se res habeat ». Et ratio est, quia per solam certitudinem, etiam remotâ evidentiâ, habitus ille innititur connexioni infallibili, et respicit veritatem infallibilem; ergo secernitur per hoc ab habitu opinativo, qui respicit veritatem fallibilem et contingentem, ideoque est habitus subjectus errori : quod est non esse habitum rectum, neque virtuosum in genere intellectuali. Habitus autem infallibiliter et certo procedens perficit intellectum sine periculo erroris, sed indefectibiliter : ergo cum rectitudine intellectuali; et consequenter virtus est intellectualis. Ergo cum theologia procedat cum certitudine (licet non cum evidentia), quia resolvit in principia fidei quæ sunt certa, utique habitus ejus est virtus intellectualis; sed non est virtus per modum artis vel prudentiæ : cum possit aliquis esse optimus theologus, et nihil artis scire, neque esse prudens, sed peccator; similiter non est habitus primorum principiorum, quia procedit per consequentiam et discursum; ergo solum est scientia, vel sapientia : quia virtus intellectualis adæquate dividitur in ista quinque, sapientia, scientia, intellectus principiorum, ars et prudentia (ut patet I-II q. 57).

7. *Secundo modo* ostenditur theologiam esse scientiam quia ex natura sua evidentiam petit,

¹ Omnes : non potest || Aptius duximus restituendum : posse; quæ lectio est tum originalis græci, tum latinarum translationum

licet ex defectu subjecti non semper illam exerceat. Et hoc videtur conformius menti D. Thomæ qui ad ostendendum theologiam esse scientiam, semper recurrit ad evidentiam suorum principiorum; sed distinguit duplicem evidentiam : aliam resolutam immediate in sua principia : aliam præsuppositam factamque a superiori scientia, continuabilem tamen cum inferiori; de quo amplius dicemus (art. 5); et ex eo ostendimus in *Logica* (quæst. 26) quod scientia subalternata, etiam quando non continuatur cum subalternante, est vera scientia ex parte rationis formalis talis scientiæ; licet ex parte subjecti non habeat perfectum statum scientis, quia non resolvit usque ad principia per se nota. Cujus ratio et signum est, quia illa scientia ex natura sua postulat continuari cum scientia subalternante : alias ex natura sua non esset illi subjecta, nec per se postularet habere principia et evidentiam ex illa. Si autem id ex natura postulat, ergo manente suâ naturâ potest participare lucem a superiori scientia, quæ utique lux evidens est et non obscura; ergo talis scientia subalternata ex sua natura et ratione formali evidentiam postulat, sicut et continuationem seu illuminationem a superiori scientia. Quod si ex parte subjecti in quo talis scientia invenitur, non continetur de facto cum scientia superiori, quia caret illâ subjectum : non propterea amittet rationem scientiæ ex parte objecti et rationis formalis, quia ex vi illius semper postulat talem continuationem.

8. *Dices* : Deficiente tali continuatione, deficiet quoque scientia subalternata, nec manebit in ratione scientiæ : quod est intrinsece destrui; sed solum habebit rationem scientiæ quamdiu de facto continuatur cum scientia superiori a qua habet evidentiam; sicut si tollatur lumen principiorum, destruitur scientia, et si tollitur fides supernaturalis, corrumpitur theologia, ut supra diximus : quia tollitur id a quo essentialiter pendet in suo lumine scientifico. — *Sed contra est* : quia ad scientiam subalternatam non spectat resolvere per se ipsam in principia evidentia superioris scientiæ; sed talis resolutio fit per scientiam superiorem, etiam quando simul concurrunt in eodem subjecto; ergo scientia subalternata solum ex natura sua petit evidentiam præsuppositam, et factam ab alia scientia, non vero per se illam facit; ergo etiamsi inveniat

quascumque vidimus.

in subjecto non habente scientiam superiorem, adhuc habebit evidentiam eo modo quo sufficit ad talem scientiam subalternatam : scilicet habere illam præsuppositam, et factam ab alia scientia superiori (sive de facto communicetur eidem subjecto in quo est scientia subalternata, sive non) : quia ad ipsam non pertinet facere talem evidentiam, sed supponere ab alia factam; licet perficiatur magis intra suam lineam, ex eo quod in eodem subjecto concurrat cum scientiâ subalternatâ evidentia illa facta a superiori scientiâ. At vero in scientiis non subalternatis si tollatur lumen principiorum, ita quod scientia non possit in illud resolvere, tolletur evidentia talis scientiæ; quia ejus evidentia non debet esse præsupposita, sicut in scientia subalternata, sed debet resolvere in talia principia, et sublatis principii non potest resolvere : et sic tollitur evidentia propria talis scientiæ. In theologia autem, si mutetur fides, ex eo destruitur scientia : quia non habet certitudinem de principiiis, quod contineantur in scientia superiori; et ideo non mirum, quod destruat talis scientia ex defectu firmitatis et certitudinis qua subordinatur scientiæ superiori : quod non currit si solum removeatur actualis communicatio scientiæ subalternantis, et ejus evidentia a subjecto, dummodo præsupponatur certo dari in scientia superiori cui subalternatur.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

9. PRIMO ARGUITUR auctoritate D. Thomæ et Aristotelis : nam D. Thomas requirit ad rationem scientiæ quod sit evidens, et non solum certa : si quidem docet non compati scientiam cum fide, ex eo quod scientia importat evidentiam, et fides obscuritatem (ut patet I-II q. 67, a. 3; q. 14 *de Verit.* a. 2 [et 9]; et II-II q. 1, a. 5). Si autem evidentia non esset de ratione essentiali scientiæ, non esset incompatibilis cum fide : in certitudine enim non repugnant. Idem sumitur ex eo quod docet (in III D. 33, q. 1, a. 2, q^{la} 4), quod si esset aliqua scientia quæ non posset resolvere usque ad principia per se nota, illa non esset univoce scientia neque propria : ergo cum theologia non resolvat usque ad principia per se nota, sed solum credita, non erit proprie scientia. — *Confirmatur* : quia secundum Aristotelem (1 *Poster.* c. 2) principium scientiæ sumitur ex his quæ per apprehensionem nota sunt, quod utique non convenit nisi scientiæ evidenti; et actus proprius

scientiæ est demonstratio, quæ secundum omnes philosophos debet esse evidens : nec ipsi cognoverunt scientiam aliquam certam quæ non esset evidens, cum naturaliter dari non possit; ergo talis scientia si datur, non est univoce scientia cum ea quam tradiderunt philosophi et Aristoteles.

10. RESPONDETUR : D. Thomam in illis locis loqui de scientiis perfectis, vel habentibus statum perfectum, quales sunt scientiæ quæ resolvunt usque ad prima principia, vel etiam subalternatæ quatenus eis conjunguntur et continuantur. Quod vero non loquatur de theologia, quam tamen sine evidentia docet esse scientiam, manifeste patet in illo ipso loco adducto ex II-II q. 1, a. 5, ubi docet scientiam et fidem non esse simul; addit (solutione ad 2) : « Ex principiiis fidei aliquid ita probatur apud fideles, sicut ex principiiis naturaliter notis probatur aliquid apud omnes. Unde etiam theologia scientia est, sicut in principio operis dictum est. » Quod vero afferitur ex tertio Sententiarum : respondetur ex his quæ diximus in *Logica* (q. 26, art. 3), quod si esset aliqua scientia, quæ nec actualiter juxta statum suum, neque ex inclinatione secundum speciem suam postularet resolvere in principia evidentia (id est, neque immediate, neque mediate) : talis non esset scientia; subalternata autem, licet non immediate resolvat in principia evidentia, resolvit tamen mediate : id est, mediante scientiâ superiori cui continuatur; et similiter theologia, mediante scientiâ beatâ, cui ex sua intrinseca ratione continuari postulat. — *Ad confirmationem similiter respondetur*, quod principium scientiæ sumitur ex his quæ per apprehensionem sunt nota, vel immediate, vel mediate : in scientiis quidem superioribus immediate resolvendo in principia per se nota : in scientiis vero subalternatis mediate, scilicet mediantibus superioribus. Quod vero dicitur, quod actus scientiæ est demonstratio evidens : respondetur verum esse, sed evidentia demonstrationis aliquando est immediate resoluta in prima principia : aliquando mediate, et solum præsupposita, quatenus fit mediante superiori scientia. Et licet philosophi non agnoverint certitudinem sine evidentia, non tamen absolute evidentiam requirunt, ut patet in definitione scientiæ supra allata; et si requirunt illam, sufficit quod sit mediate præsupposita.

11. SECUNDO ARGUITUR : theologiæ desunt condiciones requisitæ ad veram scientiam; ergo. — Antecedens probatur : Nam *in primis* deest

(text. 5)
ed. Bekker 71
b 20, sqq.

evidentia actualis, actu enim non nititur principiis visis, sed creditis, quia subalternata est; et sic, actu non erit scientia. Unde D. Thomas negat scientiam subalternatam esse proprie scientiam quando non continuatur cum scientia superiori (ut patet, q. 14 *de Verit.* a. 9*). — *Secundo*, theologia tractat de singularibus et de contingentibus, ut de vocatione, justificatione, etc.; scientia autem est de necessariis et de universalibus. — *Tertio*, deest certitudo scientifica. Tum quia ad theologiam sufficit fides humana, quia solum requiritur fides non ut dans principia, sed ut præsupponens illa in superiori scientia beatorum: ad hoc autem præsupponendum sufficit fides humana, sicut in aliis scientiis subalternatis cum credunt sua principia. Tum etiam, quia certitudo theologiæ est certitudo fidei: qui enim illam negaret censeretur hæreticus; ergo ejus certitudo plus est quam scientia, si quidem supernaturalis est et obscura, et sic pertinet ad assensum fidei.

12. *RESPONDETUR* negando antecedens. — *Ad primam probationem*, dictum est quomodo evidentia competat scientiæ subalternatæ, quantum est ex ipsa specie scientiæ: de facto autem mediante scientia superiori habet illam; unde non innititur principiis creditis, quia credita, sed quia præsupposita evidenter in superiori scientia. Nec locus ille D. Thomæ affirmat scientiam subalternatam non esse proprie scientiam: hoc D. Thomas non dicit, licet ita citetur a Patre Arrubal (disp. 2, c. 6, n. 27). Verba D. Thomæ sunt: « Ille qui habet scientiam subalternatam, non perfecte attingit ad rationem sciendi, nisi in quantum ejus cognitio continuatur quodammodo cum cognitione ejus qui habet scientiam subalternantem. » Ubi Div. Thomas non dixit non esse proprie scientiam, sed *non perfecte*: quia videlicet non habet statum perfectum sciendi ex parte subjecti, licet ex sua specie et ex parte objecti scientia sit.

13. *Ad secundam probationem*, dicitur in primis quod theologia non tractat de singularibus formaliter ut singularia sunt, sed de quidditate eorum secundum se: quæ tamen propter suam excellentiam in uno solo individuo facta sunt, sicut Incarnatio Christi, dignitas Matris Virginis, et similia; qua etiam ratione philosophia et astrologia tractant de sole et planetis, quæ singularia sunt. Et similiter tractat de vocatione et justificatione, quantum ad suam quidditatem: non

secundum exercitium in hoc individuo contingens et singulare. De aliquibus autem singularibus non quantum ad suam quidditatem, sed ut singularia sunt, agit theologia: non tamquam de subjecto principali, sed in exemplum pro moralibus, eo quod theologia etiam practica est; vel in auctoritatem eorum qui tradiderunt nobis Scripturas, ut affirmat D. Thomas (hîc, art. 2 ad 2). — Nec obstat instantia Patris Vazquez, quod de aliquibus singularibus tractat theologia tamquam de subjecto principali, ut de Christo, et Beata Virgine, etc. Dicimus enim, quod de his tractat theologia non formaliter ut singularia sunt, sed de eorum quidditate secundum se: multa enim tractantur de quidditate illius unionis, et consecutis ad illam, in communi et non determinando solum hanc ut facta est in individuo (licet de facto solum in uno singulari inveniatur): sicut philosophia tractat de sole. Denique, dici potest quod licet scientia naturalis et dependens a sensibus non agat de singularibus, quia contingentia sunt: tamen scientia quæ descendit ex revelatione divina, cui etiam singularia infallibiliter sunt nota, non est inconveniens quod de aliquibus singularibus agat prout divinæ cognitioni subsunt et eâ revelantur.

14. *Ad tertiam probationem*, dicitur certitudinem theologiæ non inniti fidei humanæ, ut præcedenti articulo ostendimus. — Et cum dicitur sufficere ad scientiam subalternatam credulitatem humanam: respondetur non sufficere in scientiis naturalibus credulitatem de principiis subalternantis, nisi certo constet (saltem per experientiam) talia principia contineri in scientia superiori, quoad *an est*; licet non sciat quis sine scientia subalternante resolvere et reducere in illa. At vero nobis non potest constare certo, quod principia theologiæ, etiam quoad *an est*, contineantur in scientia Dei et beatorum, nisi per fidem aut revelationem supernaturalem: ideoque non sufficit ad hoc fides humana. — Quod vero dicitur certitudinem theologiæ esse certitudinem fidei: respondetur non esse certitudinem fidei formaliter, sed virtualiter et per consequentiam; unde qui negat illam non est formaliter hæreticus, sed virtualiter: et præsumitur ¹ talis, quia nullus præsumitur negare id quod est evidens sibi, sed id quod est fidei. Non ergo theologia innititur revelationi formali, sed virtuali.

¹ Qui negat propositionem quæ per consequentiam evidenter legitimam deducitur ex præmissis de fide, præsumitur hæreticus. Non enim præsumitur id negare quod sibi evidens est (id est,

consequentiam): oportet igitur neget principium cui innititur propositio illata, id est præmissam de fide inevidentem.

ARTICULUS IV

Quanta sit certitudo theologiæ conclusionis sine definitione Ecclesiæ, vel cum illa.

1. **C**IRCA certitudinem conclusionum quas deducit theologia, distinguendum est : quia vel attinguntur ex solo discursu theologico, vel ultra discursum adjungitur illis etiam definitio Ecclesiæ. — *Si primo modo* se habeat, est duplex sententia : quidam tenent, quod conclusiones evidenter deductæ ex principiis fidei, etiam pertinent ad fidem, ut sentire videtur Magister Soto (II *Poster.* 1 q. 2) citaturque a Navarrete loco infra allegando. Eam etiam attribuit Scoto Molina (I P. q. 1, a. 2, disp. 2) dum dicit eundem esse habitum fidei et theologiæ. — Aliorum sententia, eaque communior, est conclusiones sic evidenter deductas non pertinere immediate ad fidem, sed mediate : per se autem ad scientiam theologicam ; de quo videri potest Magister Navarrete (tom. I, contr. 4, § 7) et nos agemus infra * (art. 7, concl. 1).

2. *Si secundo modo* consideretur certitudo theologiæ, etiam variant auctores. — Nam Pater Vazquez (hîc, disp. 5, c. 3) parificat declarationem Ecclesiæ quando de fide aliquid declarat, ipsi demonstrationi theologiæ ; et solum ponit differentiam quamdam nimis materialem : scilicet quod Concilium proponit id quod definit, ut credendum toti Ecclesiæ : ratio vero theologica solum illis quibus talis consequentia evidens est. Ubi parificat definitionem fidei rationi theologiæ ; potestque juvari ex adductis articulo præcedenti (argumento ultimo, probatione 3[†]), quæ ibi solvimus. — At vero Molina (hîc, art. 2, disp. 1) cum aliis, quos citat et sequitur Pater Granados (hîc, disp. 3, sect. 2, n. 13^{*}), tenent propositiones ab Ecclesia deductas et sic definitas ex vi deductionis, non esse immediate de fide, sed adhuc pertinere ad scientiam theologicam ut conclusiones : non autem posse esse principia theologiæ. Ne autem aliquis hæreat putans hos auctores negare propositiones ab Ecclesia diffinitas absolute loquendo non² esse de fide, distinguit Pater Granados duplicem modum quo Ecclesia

procedit ; nam si declaret aliquid tamquam immediate revelatum a Deo, sine dubio immediate pertinet ad fidem. Si vero definiat aliquid illatum ex principiis revelatis : hoc non pertinet ad fidem, sed ad conclusionem theologicam. Et ita non sunt principia theologiæ, nisi quando primo modo declarantur : eo quod Spiritus Sanctus non assistit Ecclesiæ ut novas revelationes faciat ; et sic si aliquid non est immediate revelatum a Deo, sed solum deductum per discursum, non potest illud Ecclesia facere tamquam immediatum de fide.

3. Tertia sententia est, quod propositiones deductæ evidenter ex principiis fidei, si ab Ecclesia definiantur, immediate pertinent ad fidem, et fiunt principia theologiæ ; nec amplius innituntur discursu : sed eorum certitudo est ex testimonio divino, per Ecclesiam proposito juxta infallibilem assistentiam Spiritûs Sancti in definiendis rebus fidei. Hanc sententiam communiter sequuntur Thomistæ, ut videri potest apud Navarrete citatum *, et Magistrum Gonzalez (hîc, disp. 2^{**}) ; et pro eadem sententia citat Granados (ubi[†] supra) Bellarminum, Vegam, Canum, Vazquez et alios.

4. **DICO PRIMO** : Certitudo conclusionis theologiæ deductæ per evidentem consequentiam ex principiis fidei, prout talis, non est immediata de fide, sed scientifica et theologica ; immo certitudo theologiæ, ut scientia est, solum innititur consequentiis evidenter deductis : si enim solum probabiliter deducantur, est opinio. — **RATIO EST** : quia omnis certitudo quæ habetur per consequentiam et discursum, non est immediate assensus fidei ; ergo id quod habetur per evidentem consequentiam, prout sic, non est veritas credita sed deducta : nec per immediatam testificationem certificata, sed per connexionem et consequentiam, quæ semper inferior est certitudine immediatâ fidei : tum quia participata est a principiis fidei, et sic minor illâ

¹ Ita omnes ; ita etiam citatur Soto apud Navarrete || At revera legendum I *Poster.* q. 2, ad 7^m, § *Circa materiam confirmationis* (in *Dialect. Aristotelis*, Salmanticæ 1574, fol. 91 r^o col. 1).

² Omnes : *negare... non esse* : de hac negante particula, utique superflua, consule Præfationem nostram.

* cf. infra, art. 7, n. 6, sqq.

† cf. supra, p. 356, n. 11, *Tertio* et n. 14

* et præsertim n. 18

* verius : *controvers.* 7.
** præsertim concl. 3
† disp. 3, sect. 2, n. 12

tamquam quid participatum : tum quia discursus ipse innititur regulis syllogisticis, de quibus solo naturali lumine certificamur; et sic certitudo pendens a tali discursu aliquid minus habet, quam certitudo immediata fidei. Antecedens constat : quia fides nullo humano discursu innititur, sed testimonio Spiritus Sancti, et non solum quia sic nobis videtur, sed quia sic *visum est Spiritui Sancto* (ut dicitur Act. xv, 28); ergo assensus qui innititur discursui et consequentiæ (quia sic nobis videtur et infertur), non est immediate de fide. — *Confirmatur* : quia theologia est habitus scientificus, ut probatum est; ergo non potest inniti consequentiæ probabili, sed evidenti; ergo tunc solum theologia erit scientia, quando ex principiis fidei per consequentiam evidentem procedit : et sic vel est negandum theologiam esse scientiam, nec ¹ distingui a fide : vel fatendum est, cum procedit ex suis principiis per evidentem consequentiam, tunc proprie esse scientiam distinctam a fide : principia autem ejus sunt veritates fidei.

5. Quod vero parificare videtur sententia opposita certitudinem conclusionis theologice, definitioni Ecclesie : omnino tolerari non potest. Etenim conclusio theologica deducitur humano discursu, et connexioni præmissarum de fide innititur : quæ connexio naturali lumine disponitur et attingitur, non speciali assistentiâ Spiritus Sancti. Definitio autem Ecclesie fit ex speciali assistentiâ Spiritus Sancti; et non innitimur illi quia nobis videtur tantum, et quia ex connexione lumine naturali deducitur, sed quia *visum est Spiritui Sancto*; ergo majorem certitudinem habet quam conclusio theologica, cui non assentimur quia visum est Spiritui Sancto, sed quia a nobis illata. Alioquin conclusio illata theologice non indigeret definitione fidei tamquam confirmante et tamquam regulâ suæ certitudinis, si habet in se tantam certitudinem respectu theologi inferentis quantam definitio Ecclesie; ergo non superadditur aliqua certitudo ipsi theologo ex definitione Ecclesie, et sic theologus sibi erit sufficiens regula in certitudine rerum fidei sine recursum ad Ecclesiam : quod esset perniciosissimus error.

6. **DICO SECUNDO** : Veritates, quæ definiuntur ab Ecclesia definitione declarativa fidei, quocumque modo id faciat Ecclesia, pertinent immediate ad fidem, possuntque esse

¹ Omnes : nec distingui || Intellige : et distingui : negatio enim

principia in theologia. — *Suppono duo* : primum, esse in Ecclesia auctoritatem infallibilem ad declarandas et definiendas res fidei, quæ antea definitæ non erant, ut tradi solet II^a-II^æ in materia de fide, et aliquid diximus disputatione præcedenti (art. 3); nec de hoc est aliqua dubitatio apud catholicos. Secundum est Ecclesiam, vel posse definire veritates ipsas, quæ ante per discursum et consequentiam deducebantur : vel posse solum approbare et acceptare aliquam consequentiam seu discursum tamquam legitimum et conformiorem rebus fidei; et tunc Ecclesia non definit, nec declarat rem esse de fide, sed approbat id quod in tali materia a theologis discurritur, vel tamquam probabilius acceptat : sicut in materia de infusione habituum, et aliis similibus, fecit Ecclesia *. Et in hoc casu non currit conclusio posita : quia solum loquimur de definitione declarativa fidei. Ecclesia autem quando sic declarat res de fide, supponit ante illam declarationem solum deductas esse per discursum; immo ad ipsam definitionem præcedere debet disputatio et inquisitio, quæ per multas consequentias et illationes fit : sicut Apostoli, ad definiendum legalia non esse observanda, magnamquisitionem seu disputationem fecerunt (Act. xv, 7); et tamen postea in decreto definitionis non posuerunt quia *sic disputatum est* : sed quia *visum est Spiritui Sancto, et nobis*. Ecclesia ergo in definiendo veritates transit a discursu et disputatione, qua inquirat an hoc sit contentum in Scriptura vel revelatione Dei, ad testificationem immediatam fidei : quia sic, inquit, *visum est Spiritui Sancto*; non quia sic discursum est.

7. *Ratio conclusionis*, præter allatam, manifesta est : quia veritas ab Ecclesia definita tamquam de fide proponitur omnibus ut credatur, ita ut qui illam negaret esset hæreticus directe et formaliter; ergo talis veritas immediate est de fide, et non conclusio theologica. — Consequentia manifesta est : quia id quod proponitur ut credendum, ita ut oppositum sit hæresis, non proponitur ut credendum fide humana et fallibili, sed divina. Hæresis enim fidem divinam destruit, siquidem reddit infidelem; ergo id quod immediate destruitur per hæresim, fide divina tenetur. — Antecedens vero constat : primo, ex Concilio Constantiensi post sessionem XLV, in condemnatione articulorum Joannis Hus, ubi habetur : « Cum verum credat, quod illud quod sacrum

hic abundat. Vide Præfationem.

cf. supra,
p. 338-343,
n. 3-12

* cf. supra,
p. 228, n. 12

Act. xv, 28

Mansi xxvii,
1211

Concilium Constantiense approbavit et approbat in favorem fidei et in salutem animarum, quod hoc est ab universis Christi fidelibus approbandum et tenendum; et quod condemnavit et condemnat esse fidei et bonis moribus contrarium; hoc ab eisdem esse tenendum pro condemnato, credendum et asserendum. » Deinde, quia quod definitur ab Ecclesia proponitur omnibus tamquam dogma credendum, non ut illative seu per modum conclusionis deducendum : alioquin solum proponeretur theologis, non omnibus fidelibus; et oppositum damnatur ab Ecclesia tamquam hæreticum, et ut tale anathematizatur; ergo talis veritas immediate pertinet ad fidem, et oppositum ad hæresim.

† et n. 24

8. *Respondet Pater Granados* (ubi supra, n. 23 †) conclusionem illam sic definitam posse sine discursu credi ob Ecclesiæ testimonium, infallibiliter quidem propter auctoritatem Ecclesiæ, sed non fide divina : quia non innititur immediate Deo revelanti; sicut de sanctis canonizatis multi probabiliter sentiunt eorum beatitudinem non credi fide divina, et tamen infallibiliter credi ob auctoritatem Ecclesiæ, minori tamen gradu quam res fidei. — *Sed contra* : quia in primis si semel fatetur nos ¹ assentiri illi veritati definitæ sine discursu, jam extrahitur a ratione conclusionis theologicæ, quæ per discursum habetur : et sic ruit fundamentum oppositum, quia dicunt non pertinere ad fidem quia per discursum habetur. — Deinde, talis veritas sic definita innititur auctoritati divinæ, et non solum auctoritati humanæ et creatæ ipsius Ecclesiæ : quod manifestum est ex duobus. Tum quia Ecclesia non definit quia sic sibi videtur, sed quia sic visum est Spiritui Sancto : ut patet in forma decreti definitionis traditæ ab Apostolis (Act. xv, 28) : *Visum est Spiritui Sancto et nobis*; ergo si Ecclesia proponit veritatem illam ut visam Spiritui Sancto, nos non credimus illi propter solam auctoritatem Ecclesiæ, sed propter auctoritatem Spiritus Sancti. Si autem Ecclesia definiret aliquid ex solo discursu suo, et non ex eo quod visum est Spiritui Sancto, non esset definitio fidei, nec obligarentur fideles ad credendum illi : et sic non loquimur in tali casu. Tum etiam quia, ut diximus, oppositum veritatis definitæ est hæreticum immediate et formaliter, quia immediate damnatum ab Ecclesia et contra dogma fidei, quia ut tale dogma declaratur ab Ecclesia;

¹ Omnes : non : quod videtur intelligi non posse, planeque

ergo res sic definita immediate est de fide : alias periclitatur iudicium Ecclesiæ, si declarando esse dogma fidei, non creditur de fide. Unde non potest Ecclesia aliquid definire, ex eo præcise quia per discursum theologicum deducitur, tamquam ex ratione formali (licet præcedat disputatio et discursus tamquam dispositio prævia, ad inquirendum an id contineatur in revelatione divina), sed quia visum est Spiritui Sancto, et consequenter quia revelatum immediate a Deo, licet nobis esset implicitum et occultum quousque per Ecclesiam declararetur. — Nec obstat exemplum de canonizatione sanctorum, quia ibi directe non proponitur nec definitur aliquid ut credendum, sed ut colendum : ad quod Ecclesia sufficientia habet motiva, ut definiat et declaret illum hominem esse dignum tali cultu. Quando autem determinat aliquam veritatem ut dogma fidei, determinat illam ut credendam auctoritate divina, et *quia visum est Spiritui Sancto*. Unde pro canonizatione sanctorum pie creditur assistere Spiritus Sanctus ne erret Ecclesia, ut dicit D. Thomas (*quodlib.* 9, a. 16), sed non est certum de fide (ut ibi dicit); in definiendis autem rebus fidei, est certum de fide assistere Spiritum Sanctum, et ex ejus infallibili directione procedere illam definitionem; unde assensus illius non innititur auctoritati humanæ, sed divinæ.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

9. Fere omnia argumenta reducuntur ad illa duo : quia veritates definitæ deducuntur per discursum; et quia Ecclesia non habet novas revelationes ad faciendas res de fide.

9^{bis}. ARGUITUR ergo PRIMO : Quia actus fidei est ille quo creditur aliquid quia Deus revelavit; ergo quidquid a Deo non est revelatum, non potest credi medio actu fidei. Sed propositiones de quibus loquimur non sunt immediate revelatæ a Deo, sed ab Ecclesia declaratæ deducendo illas per discursum. Ergo non attinguntur immediate per fidem, sed solum mediate ut conclusiones theologicæ. — *Nec dici potest*, quod per Ecclesiæ definitionem veritas illa extrahitur a discursu, et ut immediata de fide proponitur. *Nam contra est* : quia Ecclesia non definit illam ut immediate revelatam, sed ut illatam ex principiis fidei; ergo etiam post definitionem Ecclesiæ, illa veritas attingitur ut illata, et non ut immediata de fide.

repugnare opinioni Patris Granados. Igitur reponimus : nos.

— *Confirmatur* : quia Ecclesia non habet auctoritatem condendi sacram Scripturam, quia non habet Spiritum Sanctum sibi dictantem ne erret; ergo non omnia quæ dicit Ecclesia sunt de fide, ut patet in canonizatione sanctorum et aliis similibus, in quibus licet Ecclesia non erret, non tamen facit illa immediate de fide. Solum ergo habet auctoritatem declarandi et proponendi nobis ea quæ alias sunt a Deo revelata, et hucusque nobis non proposita. Quæ autem inferuntur ex principiis fidei, et sic proponuntur ab Ecclesia, numquam redduntur immediate revelata, sed semper manent illata; in quo differt a scriptoribus canonicis : nam quæ ipsi etiam inferunt, et dictante Spiritu Sancto per discursum colligunt, ad fidem pertinent, ut multi discursus qui inveniuntur in sacra Scriptura.

10. **RESPONDETUR** negando quod propositiones definitæ ab Ecclesia non sint immediate revelatæ a Deo : licet revelatio illa sit implicita et occulta nobis, et ideo per discursum attingatur, et eodem discursu Ecclesia disponat et præparet ipsam inquisitionem veritatis; tamen cum venit ad diffinitionem, discursus ipse et disputatio humano modo facta non est ratio definiendi et credendi, sed quia *visum est Spiritui Sancto* : non quidem de novo revelanti illam veritatem, sed occultam revelationem factam illuminanti, et manifestanti legitimum sensum occultum; juxta quod dicitur (Luc. xxiv, 45), quod *Dominus aperuit sensum discipulis, ut intelligerent Scripturas*, et ad hoc promisit Spiritum Sanctum Ecclesiæ ut *doceret illam omnem veritatem*. Et sic per auctoritatem Ecclesiæ veritas immediate revelata transit ab occulta ad manifestam, non a revelata mediate ad revelatam immediate ¹ [: licet] quoad nos per discursum cognosceretur illa veritas, quamdiu non manifestabatur esse immediate revelata.

11. *Instabis* : Cum Pontifex ipse definit, actus ille definiendi non elicitur ab habitu fidei, si quidem nondum creditur res illa, sed determinatur et proponitur ut credatur; ergo procedit ex discursu quo per disputationem inquirebatur, non enim apparet a quo alio lumine eliciatur; ergo quia visum est ² discursui, definitur. — *Respondetur* : procedere ex peculiari instinctu et assistentiâ Spiritûs Sancti qua mens Pontificis movetur, non ex vi discursûs ab aliis facti. Cum enim dicitur : *Visum est Spiritui Sancto et nobis, Iy et nobis*

non excludit actum cognitionis proprium : sed directum esse a Spiritu Sancto declaratur. Unde Div. Thomas (super Joan. cap. xi, lect. 7) dicit quod « ideo evangelista dixit Caiphæ dignitatem, ut insinuaret eum instinctu Spiritus Sancti esse locutum », ut etiam affirmat II-II q. 173, a. 4; iste autem instinctus est quid imperfectum in genere prophetiæ, quatenus a Spiritu Sancto mens vel lingua movetur, sed non semper illuminatur ut intelligat id ad quod movetur, ut locis citatis docet S. Thomas.

12. *Ad confirmationem respondetur* : Ecclesiam non condere Scripturam, sed conditam explicare auctoritate et assistentiâ divinâ. Nec dicimus Ecclesiam reddere de fide omnia quæ declarat, sed solum illa quæ declarat ut pertinentia ad fidem : quod non facit in canonizatione sanctorum, juxta opinionem D. Thomæ relatam, quæ communior et probabilior est; quia Ecclesia non proponit canonizationem sancti ut rem credendam, sed ut personam colendam : ad quod sufficit, quod præcedant diligentia cum certitudine practica et prudentiali; sicut etiam Ecclesia non potest errare in gubernatione et moribus dirigendis, licet ea quæ ad mores pertinent non credantur. Qui vero tenent canonizationem sanctorum immediate esse de fide, consequenter etiam dicunt illam definitionem non pertinere ad discursum theologicum, sed ad fidem immediate.

13. Quod vero dicitur Ecclesiam non reddere immediate revelata ea quæ mediate revelata sunt : respondetur verum esse quod si aliqua nullo modo sunt immediate revelata, neque implicite neque explicite, Ecclesia numquam proponit tamquam de fide : quia Ecclesia non ducitur solo discursu humano; bene tamen ea quæ immediate revelata sunt, sed quoad nos erant adhuc occulta et discursu solo attacta, potest Ecclesia declarare tamquam de fide, ex assistentiâ Spiritûs Sancti. Scriptores autem canonici habebant assistentiam Spiritûs Sancti non solum ad declarandam occultam revelationem, sed etiam ad faciendum et scribendum illam de novo; et ipsas etiam consequentias quas discursu deducebant, de fide reddebant : quia erant discursus dictati a Spiritu Sancto.

14. **SECUNDO ARGUITUR** : Quia veritates quas Ecclesia definit, per eundem discursum cognoscimus per quem Ecclesia eas deduxit et declaravit; ergo pertinent ad habitum discursivum,

¹ Suspicamur hic aliquid excidisse : ideoque inserendum *licet* aut quid simile.

² Omnes : *quia visum et discursui*.

qui utique est theologia : fides enim discursiva non est. — Antecedens constat : quia in præsentia non loquimur de veritatibus quas definit Ecclesia tamquam immediate revelatas a Deo, sed de illis quas definit ut deductas ex revelatis; ergo cum non aliter nos cognoscamus illas quam Ecclesia, consequenter cognoscemus illas ut deductas per discursum; qui autem non sciunt deducere, cognoscent illas credendo esse deductas, non autem credendo immediate esse de fide. — *Confirmatur* : quia qui credunt illis propositionibus, credunt in virtute illius syllogismi : « Ecclesia non potest errare, et Ecclesia definit hanc veritatem; ergo ita est. » Assensus autem fundatus in hoc discursu non est fidei, quia fides non est discursiva. Ergo illæ veritates non pertinent ad fidem immediate. Qua etiam ratione aliqui volunt fidem generari in nobis per discursum : quia quidquid Deus dicit est verum; Deus hoc dicit; ergo hoc est verum.

15. RESPONDETUR : Ecclesiam dupliciter procedere in his veritatibus. Primo, antecedenter ad definitionem, per inquisitionem et disputationem, quæ sunt præambula ad definiendum, nondum declarata veritate; et tunc per discursum illam cognoscit. Secundo, de facto definiendo tamquam

* Non defuerunt theologi qui existimaverint Joannem a Sancto Thoma hic in apertam incidisse sui ipsius contradictionem : dum ex una parte ubique * ponit ad fidem pertinere ea tantum quæ immediate revelata sunt; et ex alia parte, in præsentia loco admittit aliquid *virtualiter* (=mediate) *implicite* revelatum posse defini ab Ecclesia, indeque immediate ad fidem pertinere. Ita v. g. R. P. Marin-Sola O. P. (*L'évolution homogène du dogme catholique*, Parisiis, 1924, tom. 2, p. 23). — Re tamen verà, in doctrina Joannis nostri (dummodo ejus verbis is tribuatur sensus qui auctoris est, non qui aliorum quorumcumque) omnia perfecte consonare possunt. Ad cujus rei evidentiam, duo animadvertenda occurrunt.—PRIMO : Joannes a S^o Thoma sæpe, præsertim in hoc articulo 4, vocem « *implicitum* » adhibet sensu omnino peculiari et determinato, ita ut idem sonet ac « *occultum* » (cf. art. 4, n. 8, post medium; n. 10; n. 13). Unde hæc esset, secundum auctoris doctrinam, divisio revelati :

Revelatum	{	<i>formaliter</i> (seu immediate)	}	<i>explicitum</i> (seu manifestum)
		<i>virtualiter</i> (seu mediate = conclusio theologica stricte dicta)		<i>implicitum</i> (seu occultum)

SECUNDO : si attente consideretur alterum oppositionis membrum, nempe revelatum « *virtualiter illative tantum* », adhuc manifestius apparet quo sensu intelligendum sit illud revelatum « *virtualiter implicite* »; significat enim aliquid non tantum virtualiter seu illative revelatum, sed etiam *implicite*, id est *occulte immediatum*.

Quid autem sit istud *formaliter occulte* revelatum, jam non obscure innuitur locis citatis (id est art. 4, n. 8 in fine; n. 10;

de fide, et non pure approbando discursum factum tamquam fidei conformiorem (hoc enim non est definire) : sed tunc definit, quando ex tota illa disputatione compertum est veritatem illam immediate contineri in Scriptura vel traditione; et tunc non definit per discursum, nec solum ex eo quod sibi sic videtur ex vi sui discursus : sed quia sic visum est Spiritui Sancto qui illam veritatem primo dixit, et postea manifestavit sic ibi contineri : non per novam revelationem, sed per novam manifestationem revelationis antea factæ; ad quod habet Ecclesia assistentiam infallibilem Spiritus Sancti. Unde fideles quando assentiuntur illi veritati ut definitæ ab Ecclesia, non assentiuntur ex vi discursus theologici, sed ex ipso testimonio divino : quia sic visum est Spiritui Sancto; possunt tamen etiam discursum illum formare, quo primo deducta est illa veritas, modo theologico : et tunc non assentiuntur illi ut definitæ, sed ut illatæ theologicæ.

16. Unde colliges, quod in veritatibus fidei potest aliquid contineri virtualiter, dupliciter. Uno modo virtualiter illative tantum : et hoc pertinet ad theologiam quæ habet pro objecto illata ex veritatibus fidei. Alio modo virtualiter implicite : id est, quæ in re revelata sunt et

n. 13); pauca tamen arbitramur ad majorem elucidationem addenda. — *Formaliter explicite* revelatum dicitur id quod absque ullo ratiocinio, ex primo adpectu, statim ab omnibus, saltem doctoribus, dignoscitur in sacro textu vel traditione ecclesiastica contentum. Sed multo plura in Scriptura latent quam quod omnes in ea agnoscunt adesse : quæ quidem formaliter et immediate existunt in revelationis deposito, at plurimos aut saltem multos fugiunt, ita ut dubitare fas sit an reapse revelata fuerint : tales veritates igitur revelatæ sunt, et quidem formaliter et immediate, at non adhuc manifeste, sed occulte et modo implicito. Hujusmodi, v. g. sunt omnes Scripturarum clausulæ quarum sensus (immediatus utique et litteralis) adhuc controvertitur. In exemplum adducamus verba Angeli Gabriel : « Ave, gratia plena. » De quam plenitudine intelligenda sit angelica illa salutatio, olim dubitare licebat. Hodie, post Ecclesiæ definitionem, scimus, et quidem sine ratiocinio, immediate hanc plenitudinem comprehendere omnia puritatis et gratiæ genera, etiam gratiam præservationis ab originali peccato. Hoc quidem immediate erat in textu evangelico, at non ab omnibus agnoscebatur : revelatum ergo erat immediate et formaliter implicite seu occulte. Immunitas tamen ab originali, etiam deduci poterat ex illo principio communiter apud theologos recepto, quod Dei Genitrici tribuit omnes perfectionis et gratiæ modos qui dignitati Redemptoris et conditioni passibilis humanitatis non officiant. Ideoque ad privilegium immaculati conceptus etiam syllogizando pervenire fas erat : unde « conclusio theologica » poterat dici. Ergo et virtualiter revelata. At non *virtualiter tantum*, sed *virtualiter et implicite*.

Quibus positus, facilis evadit, omninoque sibi coherens, sententia Joannis a S^o Thoma; quam hujusmodi esse censemus : « Aliquid potest in fidei veritatibus virtualiter tantum contineri : tales sunt conclusiones theologicæ stricte dictæ, per illationem et

intenta a Spiritu Sancto : sed nobis occulta, et ideo discursu attacta. Et hæc potest definire Ecclesia, et declarare.

17. *Ad confirmationem respondetur* : illum syllogismum proprie non esse probativum, nec illi inniti assensum fidei tamquam rationi formali : sed solum ille discursus explicat in actu signato, id quod ipsa certitudo fidei in actu exercito facit ; et talis syllogismus non magis probat seu manifestat veritatem, quam si non ponatur, sed sine illo immediate stat assensus fidei. Alias simili modo probari posset, quod prima principia cognoscuntur per discursum, quia possumus formare hunc syllogismum : « quidquid manifestatur per lumen principiorum est certum ; sed

quodlibet est, vel non est, sic manifestatur ; ergo est certum ; » « quidquid oculis video est certum ; sed oculis video solem fulgere ; ergo ita est. » Hæc et alia similia non sunt discursus probativi, nec afferunt aliam distinctam manifestationem, quam si sine tali discursu res ipsa proponatur. Quare in vi talis discursus non accipitur nec probatur certitudo principiorum ; nec similiter in vi discursus propositi assentimur veritatibus fidei : sed ex eo præcise, quia Deus dixit, et Ecclesia proponit. Quod vero proponatur in forma syllogismi « quidquid Deus dicit, vel Ecclesia proponit, etc. », non se habet ut medium probativum, sed præcise explicat in actu signato, id quod ipsa propositio in actu exercito repræsentat.

ARTICULUS V

Utrum theologia nostra subalternetur scientiæ beatæ, et maneat cum ipsa?

[DE SUBALTERNATIONE THEOLOGICÆ.]

1. **C**IRCA primum punctum de subalternatione theologiæ divisi sunt auctores, tam antiqui quam moderni. Nam EX ANTIQUIS PLURES EXISTIMANT NULLAM DARI PROPRIE DICTAM SUBALTERNATIONEM theologiæ nostræ ad scientiam Dei et beatorum. Ex antiquis tenent Scotus *, Aureolus **, Durandus †, et alii quos citat Cajetanus (I P. q. 1, a. 2) ; ex modernis Molina (hic, art. 2, disp. 3), Vazquez (disp. 6, c. 2), Arrubal (disp. 2, c. 8), Granados (disp. 6, n. 8).

1^{bis}. *Fundamentum* reducitur ad hoc : quia in nostra theologia non salvantur condiciones essentielles subalternationis, nec accidentales ; ergo non datur. — De accidentalibus constat, quia inter alias sunt duæ. Prima, quod subjectum subalternatæ addat differentiam accidentalem supra subjectum subalternantis, ita quod sit aliud subjectum unius et alterius ; theologia autem nostra non addit supra subjectum scientiæ beatæ, quia utriusque subjectum est unum et idem, scilicet Deus. Secunda est, quod scientia subalternata probet suas conclusiones per demon-

strationem *quia*, subalternans autem *propter quid* ; theologia autem non probat veritates suas probatione *quia*, cum non habeat experientiam illarum, et eandem causam assignat nostra theologia et scientia beata circa veritates suas : ut si quaeratur propter quid incarnatus est Christus, utrobique respondetur propter salutem humanam. — Quod vero non salventur essentielles condiciones patet : quia essentia subalternationis consistit in hoc quod inferior scientia accipiat sua principia a superiori tamquam ab eâ probata, non autem resolvat usque ad principia ; sed in theologia et in scientia beatorum sunt eadem principia et conclusiones, nec principia theologiæ probantur in scientia beatorum ; ergo. Minor probatur : quia theologia probat suas conclusiones ex ipso Deo obscure credito, beati autem easdem conclusiones in Deo clare viso cognoscunt ; ergo utrobique procedunt ex eisdem principiis, et circa easdem conclusiones ; non autem principia unius probantur ab alia, sed solum est diversus modus attingendi easdem veritates.

2. *Secundo* : scientia subalternans et subalternata sunt compossibiles in eodem intellectu ; sed theologia nostra et scientia divina non possunt

ratiocinium *tantum* attactæ. — Potest tamen aliqua propositio per discursum theologicum attingi (ideoque *virtualiter* in deposito fidei contineri), quæ nihilominus revelata sit immediate, sed *latenter, implicite* et occulte, saltem pluribus theologis : cujus-

modi propositio poterit dici *virtualiter implicite revelata*, id est : non tantum virtualiter, sed etiam immediate, at modo implicito et nobis occulto donec ex definitione Ecclesiæ manifestetur et extra dubium ponatur ista immediata revelatio. »

* in I *Sent.*
q. 3 prologi,
q. 4 et 5
lateral.
** in I *Sent.*
prolog.
† in I *Sent.*
prolog. q. 7

esse in eodem intellectu, quia scientia divina non potest esse in nobis, nec theologia nostra in Deo; ergo, etc.

3. *Ultimo* : quia theologia nostra non potest continuari cum scientia beata (siquidem innititur principiis fidei, quæ manere non potest cum scientia beata); scientia autem subalternata, continuabilis est cum subalternante, et composibilis illi; ergo, etc. — Si dicatur theologiam per se non inniti fidei, sed per accidens, quatenus supponuntur principia illa evidentia lumine beatifico, credita autem nunc per fidem : Contra est, quia si fides solum requiritur ut supponens principia, non ut præbens illa : ergo quæcumque fides sufficit ad theologiam, etiam fides humana : quia hæc sufficit ad supponendum dari illa principia. Si autem fides præbet illa et non solum supponit, utique theologia nostra non potest manere cum scientia beata : quia mutantur principia essentialiter, scilicet fides et visio clara.

4. OPPOSITAM SENTENTIAM, scilicet subalternari theologiam nostram scientiæ beatæ absolute et simpliciter, id est, quoad essentielles condiciones, licet desint accidentales, TENENT COMMUNITER THOMISTÆ (ad hunc art. 2) et ibi videri potest Cajetanus, Bañez, Nazarius * et alii; Capreolus (q. I prologi, concl. 2), et ibidem Hispalensis †. Pro cuius sententiæ explicatione supponendum est ex his quæ diximus in *Logica* (q. 26), quod duplex est subalternatio, alia ex parte principiorum, alia ex parte subjecti. Ex parte principiorum, quando principia unius scientiæ non possunt esse immediate per se nota, sed manifestantur per lumen superioris scientiæ : et ita scientia inferior non resolvit immediate in principia per se nota, scientia vero superior sic. Et in hoc consistit essentialis et præcipua ratio subalternationis, ut delarat D. Thomas (in I *ad Annibald.* prolog. q. 1, a. 1). Ex parte vero subjecti est subalternatio, quando subjectum unius est diversum et extraneum a subjecto alterius, illique subordinatur quia per principia superioris subjecti de eo manifestatur; et tunc requiruntur aliquæ condiciones, ut subjectum unius scientiæ subalternetur alteri, quas citato loco explicavimus : v. g. quod subjectum inferioris scientiæ addat accidentalem differentiam ad subjectum superioris, ut sic maneat extraneum ab illo, et non essentialiter illi subjectum (quod enim essentialiter est subjectum, se habet ut species sub genere : ad eandem autem scientiam pertinet

agere de genere et de speciebus sub eo contentis). Et similiter, quod scientia subalternata habeat distinctas passiones a subalternante. Item quod subalternata sciat *quia* et subalternans *propter quid*, etc. Sed tamen istæ condiciones ad hoc requiruntur, ut possint principia superioris scientiæ inferiorem illuminare : in hoc enim maxime relucet essentialis subalternatio scientiæ. His positis :

5. NOSTRA RESOLUTIO EST, reperiri in theologia essentialem subalternationem quæ sumitur ex parte principiorum, licet non reperitur subalternatio ex parte subjecti, et secundum illas condiciones accidentales, quæ, ut ostendimus (citato loco *Logicæ*), non requiruntur necessario ad omnem subalternationem : præsertim quod scientia subalternans sciat *propter quid*, et subalternata *quia*; hoc ostendimus (ibi) solum dici de subalternatis mathematicis, non de omnibus absolute. — Hæc est perpetua sententia D. Thomæ, ut patet in hac quæstione (art. 2) ubi ponit dependentiam theologiæ nostræ a Deo, non in eo solum quod scientia Dei revelat nobis principia fidei ex quibus conclusiones deducimus : sed in eo quod principia theologiæ sunt nota lumine scientiæ Dei et beatorum : ubi notificationem seu manifestationem horum principiorum, non autem revelationem eorum per fidem, reducit Div. Thomas ad scientiam superiorem. Et præsertim quia si loqueretur de revelatione fidei, non reduceret manifestationem principiorum nostræ theologiæ ad scientiam beatorum : quia revelatio nostræ fidei non fit nobis a beatis, sed a Deo; ergo non loquitur Div. Thomas de dependentia a superiori scientia ut revelante tantum credenda, sed ut manifestante et probante principia theologiæ : quod pertinet ad subalternationem. Item (in I *ad Annibald.* cit. art. 2) docet principia theologiæ manifestari perfecte in patria, imperfecte hîc; ergo reduxit Div. Thomas manifestationem principiorum theologiæ ad superiorem scientiam : quod est subalternari illi.

6. *Et fundamentum hujus sententiæ* ex eo deducitur, quia principia theologiæ non solum sunt veritates quæ de ipso Deo in se, ut de re cognita, habentur : sed etiam veritates quæcumque quæ per fidem immediate sunt creditæ, et pertinent ad diversa mysteria quæ rationes et causas suas habent in Deo; ergo quoad talia mysteria seu veritates, potest theologia sumere probationem et manifestationem ex illa scientia, quæ evidenter

* controv. 5, seu controv. 2 in art. 2^m hujus quæst.
† Didac. Deza, archiep. hispalensis (Echard II, 51); *Nov. Defens.* in I *Sent.* prolog. q. 1, a. 1, concl. 2

revera : Prolog. q. 1, a. 1 ad 2

cognoscit in Deo rationes et causas talium mysteriorum; sed scientia divina, et scientia beatorum id cognoscit; ergo talis scientia manifestat veritates aliquas, quæ sunt principia in theologia: in scientia autem beata cum sint deducta ex rationibus divinis, se habent tamquam conclusiones. — Primum antecedens manifestum est: quia theologia habet pro principiis omnia quæ immediate sunt credita per fidem, ex quibus deducit ea quæ virtualiter et mediate revelata sunt: plura autem mysteria fidei quæ immediate sunt revelata, procedunt a Deo et in ipso habent suas causas et rationes (ut Incarnatio, glorificatio, justificatio, Eucharistia, et similia); ergo veritas istorum mysteriorum evidenter manifestatur in eo qui videt Deum clare, et in eo cognoscit rationes et causas horum mysteriorum. Ex quo patet salvari in theologia veram et essentialem subalternationem: cum verificetur quod principia aliqua theologiæ, quæ immediate sunt credita, habent causas et rationes suæ manifestationis in scientia beata vidente rationes istorum mysteriorum in Deo.

7. Ea vero quæ cognoscimus de Deo ipso in se per fidem, non probantur quidem tamquam conclusiones in superiori scientia (v. g. mysterium Trinitatis, et alia similia quæ pertinent ad Deum), sed tamen sunt ibi evidenter nota, et hinc credita; in quo diversimode se habet theologia nostra respectu scientiarum naturalium in sua subalternatione: quia in scientiis naturalibus non potest verificari quod ipsa principia per se nota ipso lumine principiorum in superiori scientia, sint tantum credita, et non per se nota in inferiori: quia quod est per se notum lumine principiorum, omnibus est per se notum; et principia quanto sunt superiora, et ad scientiam superiorem pertinent, tanto sunt magis nota omnibus propter suam universalitatem. At vero in supernaturali lumine potest id quod est per se manifestum per modum principii in lumine superiori, illudmet esse tantum creditum lumine inferiori per fidem. Unde multo melius salvari potest subalternatio, etiam respectu ejusdem subjecti, cum inveniatur idem subjectum cognosci obscure per fidem, et evidenter per visionem: unde subordinari potest lumen inferius et obscurum lumini superiori et evidenti, non quidem manifestando principia inferiora per probationem, sed per immediatam visionem. Salvatur ergo ex omni parte vera subalternatio in theologia: respectu quidem illorum principiorum, quæ in Deo habent suas

causas et rationes, quatenus in superiori scientia beata manifestantur quasi probative, eorum rationes videndo; respectu vero principiorum seu mysteriorum quæ in Deo causas non habent, sed sunt ipse Deus, salvatur subordinatio, quatenus principia illa sunt hinc obscure credita, ibi autem clare manifestata, non per probationem, sed in se ipsis immediate. — Quod vero dicitur esse idem subjectum, scilicet Deus: respondetur esse idem, sed non eodem modo cognitum, sed in una scientia obscure, in alia clare, secundum diversa principia vel diverso modo manifestata, ut explicatum est.

8. AD FUNDAMENTA OPPOSITA. *Ad primum respondetur*: quod attinet ad condiciones accidentales subalternationis, dicimus illas simpliciter non requiri; et sic, licet desint theologiæ, non tollitur vera et essentialis subalternatio, ut ostensum est. — Ad id vero quod objicitur contra condiciones essentielles subalternationis: respondetur non esse easdem conclusiones deductas per theologiam, et visas in scientia beata; nostra enim theologia deducit conclusiones ex rebus immediate revelatis per fidem, sive pertineant ad ipsam divinitatem, sive ad mysteria procedentia a Deo, quorum rationes et causas beatus in Deo videt; unde ad scientiam beatam solum pertinet cognoscere evidenter ea quæ in theologia se habent ut principia, quædam immediate videndo ut objectum primum suæ visionis (scilicet quæ pertinent ad Deum in se), quædam ut secundarium objectum, quorum rationes et causas in Deo videt. Illas vero conclusiones, quas theologia nostra hinc deducit, et tamquam virtualiter revelata cognoscit, etiam scientia beata non immediate videt: sed illative deducuntur ibi a theologia, licet cum evidentia principiorum a scientia beata visorum, et non sine illa.

9. *Urgebis*: Cur non poterit beatus, non solum mysteria nostræ fidei in Deo cognoscere, sed etiam penetrare ipsas conclusiones quas nos deducimus illative: et sic attinget illas intra Deum, et habebit eadem principia, quæ nostra theologia, et easdem conclusiones? Et saltem de ipsa scientia Dei non est dubium, quod omnia illa videt intra se; ergo in divina scientia eadem principia et conclusiones sunt, quæ in nostra theologia, et sic non subalternantur. — *Respondetur*: quod attinet ad scientiam beatorum, non omnia revelari eis intra Verbum, sed ex his quæ in Deo clare vident, multa possunt per consequentiam deducere: et hæc non pertinent ad scientiam

cf. supra,
p. 362, n. 1^{bis}

beatam, quæ consequentias non deducit, sed omnia quæ cognoscit, intra Deum videt; sed pertinent ad scientiam inferiorem, et extra Verbum. Quod si omnia illa quæ per consequentias deducit etiam intra Verbum videat, talis cognitio non erit theologiæ formaliter, quæ est scientia inferior et extra Verbum: sed erit theologiæ eminenter; quod tamen non tollit quin formalis theologia deducat conclusiones suas extra Verbum per illationem, et de tali theologia nos loquimur in præsentem, et dicimus illam esse subalternatam scientiæ beatæ. In scientia autem divina dicimus non dari theologiam formaliter, sed eminenter: quia non habet [Deus] scientiam inferiorem et subalternatam, sed solum scientiam supremam, et intra se cognoscentem omnia.

10. *Ad secundum respondetur*: scientiam subalternantem, scilicet scientiam beatam, compati cum theologia nostra ex parte ipsius scientiæ (ut statim ostendemus), licet ex parte statûs imperfecti quem hîc habet nostra theologia, non compatiatur cum scientia beata; sicut etiam quæcumque scientia subalternata, quantum ad statum imperfectum, non compatiatur cum scientia subalternante, in cujus continuatione perficitur. — Quod vero scientia divina repugnet simul cum theologia in eodem subjecto, non est ex ratione subalternationis, sed quia divina est. Unde nec theologia nostra formaliter et proxime subalternatur illi, sed eminenter et remote: proxime vero scientiæ beatæ.

11. *Ad ultimum respondetur* solutione data, sicut jam supra tradidimus. — Ad replicam respondetur, quod ad præsupponendum principia in scientia superiori evidenter nota, non sufficit quæcumque fides; sed oportet quod supponantur certo dari illa principia in tali scientia, licet demonstratio ipsa non constet isti quomodo fiat, sed solum credatur. Facile enim in quacumque scientia subalternata naturali, potest sibi constare quod talia principia contineantur in scientia subalternante: vel ex ejus communicatione, vel ex libris in quibus continentur. Quod si scientia subalternata taliter præsupponat illa principia, quod æque facile illa negare vel affirmare potest: talis non habebit scientiam, sed meram opinionem. Sic qui fide supernaturali non præsupponit principia theologiæ contineri in scientia superiori, non procedit certo, sed mere opinative: quia non

¹ Omnes: *non ad res*: arbitramur nonnulla verba hic deesse, quæ conjiciendo, utcumque reparare conati sumus. Ideo ubi

certo sibi constat dari talia principia. Et præsertim hæreticus, qui proprio arbitrio ducitur, et quædam principia recipit et quædam non, et sic est dispositus quod cetera etiam neget, si sibi videbitur (siquidem proprio arbitrio ducitur): talis caret scientia theologiæ, nec potest continuari cum scientia superiori; tum quia plura principia negat; tum quia in his quæ non negat, sic est dispositus ac si negaret, quia solum proprio arbitrio tenet illa. — Quomodo vero non mutetur theologia ex eo quod hîc habet principia obscure credita, et in patria evidenter nota, hîc autem præsupposita: dicemus puncto sequenti.

[DE PERENNITATE THEOLOGICÆ.]

12. Circa secundum punctum, an theologia nostra maneat in patria, non modica difficultas est: quia ex una parte si est scientia subalternata, postulat continuari et compati cum subalternante. Ex alia vero parte, scientia semel obscura et inevidens non potest claritatem induere, nisi mutetur intrinsece: quia claritas et obscuritas non sunt denominationes extrinsecæ, sed affectiones intrinsece convenientes: unde non potest mutari de una in aliam sine intrinseca mutatione; constat autem theologiam modo esse obscuram; ergo non potest eadem reddi clara et manere in patria.

13. PROPTER HOC MULTI AUCTORES TENENT THEOLOGIAM NOSTRAM IN PATRIA NON MANERE. — Ita sentit Pater Valentia (hîc, disp. 1, q. 1, puncto 3*), et alii qui existimant theologiam nostram intrinsece esse inevidentem, nec subalternari scientiæ beatorum, sed solum inniti fidei ut fides est: cum in patria non detur cognitio obscura.

14. OPPOSITUM COMMUNITER TENENT THOMISTÆ, ut videri potest in Cajetano (hîc, art. 2, § *Quoad secundum punctum*, in fine); Bañez (ibidem, dub. 2 et 3); Navarrete (controv. 5); Gonzalez (disp. 1, n. 9), et alii. Et sumitur etiam ex D. Hieronymo (in epist. ad Paulinum): « Discamus in terris, quorum scientia nobiscum perseveret in cælis; » loquebatur autem de rebus pertinentibus ad sacram Scripturam, non ad scientias naturales ¹.

15. *Fundamentum* sumitur, tum a priori, tum a posteriori. — *A posteriori*: quia non minus de-

legebatur *res*, posuimus *scientias naturales*.

cf. supra, p. 362, n. 2

cf. infra, n. 12 sqq.

cf. supra, p. 363, n. 3

* § 2

ep. 53 n. 9; PL 22, 549

pendent dona Spiritûs Sancti a fide, quam theologia acquisita; sed hoc non obstante, sapientia et scientia quæ est donum, manent in patria, remotâ fide; ergo etiam scientia theologiæ acquisita. — Major manifesta est: quia virtutes theologiæ se habent ut principia regulativa donorum Spiritûs Sancti, ideoque digniores sunt quam dona, ut tradit D. Thomas I-II q. 68, a. 8, et videri potest II-II q. 8 et 9, ubi donum intellectûs et scientiæ dicit versari circa res fidei penetrandas et judicandas, discernendo credenda a non credendis: ergo ista dona dependent a fide, tamquam a præbente sibi principia regulativa suarum veritatum. — Minor vero constat ex eodem D. Thoma, loco citato I-II (art. 6), ubi docet manere dona Spiritûs Sancti in patria, sublatis imperfectionibus, et mutato statu. — Consequentia vero probatur: tum ex eodem Divo Thoma, I-II q. 67, a. 2, ubi docet manere virtutes intellectuales in patria, quarum præcipua est scientia theologiæ; tum quia si ratio propter quam dicitur non manere in patria, est propter diversitatem principiorum (quia scilicet ibi non est fides, sed lumen gloriæ), etiam ob eandem rationem non maneret sapientia et scientia quæ est donum, quia non manet fides a qua habent hîc sua principia; et similiter ibi dona Spiritûs Sancti habent claritatem et evidentiam, hîc obscuritatem; ergo si hæc non sufficiunt tollere identitatem donorum hîc et in patria, cur tollent in scientia quæ est acquisita?

16. *A priori* autem probatur hæc sententia: quia licet actus semel obscurus non possit reddi clarus, quia est sic determinate elicitus cum tali modificatione et circumstantiis: tamen habitus qui de se inclinatur ad evidentiam, participando illam ab alia scientia superiori, non repugnat quod aliquando propter aliquod impedimentum careat illâ, et tamen remoto illo impedimento illam participet; sicut etiam virtutes morales possunt aliquando esse formatæ a prudentia, ad cujus directionem passivam ex natura sua inclinant, et tamen possunt carere tali formatione prudentiæ, nec essentialiter entitative corrumpi: quia hæc directio est participata, non ab ipsa virtute morali nata. Sic scientia subalternata, ex eo quod subalternata est, de se non facit evidentiam resolvendo usque ad prima principia, sed factam a scientia superiori participat; et sic licet evidentia illa principiorum sit ei connaturalis et participata, non tamen essentialis, quia per se non facit illam. — Et sic fit argumentum: Scientia

subalternata de se est habitus inclinans ad participandum evidentiam a superiori scientia, non de se illam habens aut faciens; ergo adveniente illâ evidentiâ, sine sui corruptione illam participat: et ablatâ illâ etiam potest manere idem habitus sine tali evidentiâ. — Consequentia patet: quia evidentia illa non nascitur ab ipso habitu scientiæ inferioris: siquidem non pertinet ad ipsam resolvere usque ad prima principia, sed præsupponere talem resolutionem et evidentiam factam a superiori scientia; ergo talis evidentia solum convenit scientiæ inferiori, ut præsupposita, et nata ex aliâ distinctâ scientiâ; et consequenter si jungatur illi, etiamsi ex tali conjunctione aliquam perfectionem participet inferior scientia, quia tunc movetur a suo proprio et connaturali principio clare manifestato: tamen talis perfectio orta ex illâ evidentiâ sic participatâ non destruit, aut constituit, scientiam inferiorem: sed solum perficit et format, ponendo in illa ordinem et continuationem ad scientiam superiorem sibi in eodem intellectu conjunctam, sicut formantur virtutes morales ex ordine ad prudentiam sibi conjunctam; sic evidentia præsupposita et participata a superiori scientia, non orta ex scientia inferiori, format et perficit scientiam inferiorem, non constituit.

17. **FUNDAMENTA OPPOSITÆ SENTENTIÆ** ex dictis solvi possunt. Reducuntur enim principaliter ad duo. — *Primum*, quod jam supra insinuatum est: quia theologia nostra acquiritur ex principiis fidei, et per actus inevidentes; ergo intrinsece manet inevidens, et sic non potest fieri evidens nisi intrinsece mutetur: quia evidentia et inevidentia semper sunt aliquid intrinsecum in scientiis, cum pendeat hoc ex principiis a quibus essentialiter pendet quælibet scientia. — *Et confirmatur* in actibus ipsis: quia non potest intelligi quod actus inevidens fiat evidens, stante eadem entitate actûs; ergo neque habitus: quia non minus intrinseca est tendentia in objectum in habitu, quam in actu: ex ipsâ autem tendentiâ sumitur claritas vel obscuritas.

18. *Secundum fundamentum* est: quia nostra theologia est habitus acquisitus et naturalis; ergo non potest inclinare in evidentiam supernaturalem, et ad continuationem cum lumine gloriæ, neque perfici ab ipsa. — Antecedens a nobis admittitur, et infra ostendetur. — Consequentia probatur: quia theologia non potest acquiri ex assensu luminis gloriæ, sicut acquiritur ex assensu fidei; et sic non potest participare ab illo cla-

* Ita omnes.
Forte legendum: *ut*.

ritatem, sicut ab ista certitudinem et obscuritatem : quia habitus naturalis et acquisitus non potest evidentiam supernaturalem habere, nisi utendo lumine et medio supernaturali ad talem evidentiam; habitus autem acquisitus et naturalis, improportionatus est ad tale lumen et medium, estque illi indebitum, utpote supernaturale; ergo non potest ex natura sua inclinare ad continuationem cum tali lumine, sicut ex natura sua inclinatur scientia subalternata ad subalternantem : sicut etiam virtutes morales acquisite non inclinant ad hoc ut formentur a virtute supernaturali. — *Confirmatur* : quia veritates deductæ in theologia, quando evidenter apparent principia ejus, sub nova claritate et luce apparent quam antea, scilicet sub evidentia supernaturali; ergo tali claritati objectivæ debet correspondere nova virtus ex parte habitûs, quæ ante non correspondebat : siquidem proportionari debet ¹ objectum illustratum cum habitu tendente in illud. — *Confirmatur secundo* : quia si daretur theologia per se infusa et evidens, sine dubio distingueretur specie a nostra acquisita; sed illa infusa non aliter haberet evidentiam, quam deducendo conclusiones ex principiis evidentibus lumine gloriæ; ergo si eodem modo deducit nostra theologia illas quando est in patria, etiam erit distincta specie a nostra acquisita.

19. *Ad primum respondetur* : theologiam nostram acquiri et generari per actus inevidentes, inevidentiâ se tenente ex parte subjecti et per accidens conveniente illi, non se tenente ex parte ipsius scientiæ et rationis formalis ejus. Nam ratio formalis intrinseca scientiæ sumitur ex resolutione quam talis scientia facit in sua principia. Ex vi autem talis resolutionis petit tendere in principia evidentia ratione alterius scientiæ, non autem ratione propriæ resolutionis manifestæ ². Quod si desit scientia illa superior manifestans, non redditur scientia inferior obscura et inevidens ab intrinseco, et ex vi propriæ resolutionis : sed per accidens, ex defectu superioris scientiæ quæ in tali subjecto non est. Quare negamus scientiam subalternatam, et theologiam ipsam, esse intrinsece et essentialiter, id est, ex vi ipsius rationis formalis, evidentem et inevidentem : sed solum participative et præsuppositive, ex ratione subalternantis quæ probat illa principia; scientia autem inferior non probat, sed supponit probata. Dicitur enim intrinsece et essentialiter convenire

evidentia, quando ex vi ipsius luminis et rationis formalis scientiæ fit resolutio usque ad principia per se nota, a quibus essentialiter pendet manifestatio et evidentia conclusionum. Dicitur autem fieri participative et præsuppositive, quando lumen aliquod non est ita efficax quod possit ipsâ resolutione a se factâ pervenire usque ad principia per se nota : sed indiget subjici et subordinari alteri scientiæ, quæ illam resolutionem perficiat; et ad scientiam inferiorem solum pertinet præsupponere illam, non autem facere : et hoc vocamus extrinsecam evidentiam, id est, præsuppositam, et factam ab alia scientia, non ex propria resolutione usque ad prima principia ortam. — Et cum urgetur, quod esse evidens vel inevidens, non est denominatio extrinseca in habitu vel in actu : respondetur non esse denominationem extrinsecam, quæ nihil omnino ponat in scientia inferiori (sicut esse visum in pariete) : sed esse respectum et subordinationem ipsius scientiæ subalternatæ, et dependentiam ad subalternantem, ut ex ejus illuminatione et conjunctione perficiatur scientia inferior, probando ejus principia quæ solum præsupponebat : sicut ex illuminatione Angeli superioris perficitur scientia Angeli inferioris, et ex conjunctione majoris scientiæ, minor; sed quia hæc perfectio et illuminatio non nascitur ex propriis et intrinsecis talis scientiæ inferioris, sed præsupponitur facta a scientia superiori, dicitur ei extrinseca, id est, ab alia facta, quæ probat talia principia; vere tamen, ex tali probatione, perfecta redditur talis scientia inferior per conjunctionem et habitudinem ad sua principia, prout sibi manifestata et probata; sicut etiam aliæ scientiæ habent evidentiam deductam ex alio habitu, scilicet ex habitu principiorum, factam ³ tamen a se per resolutionem in prima principia : subalternatæ vero scientiæ id faciunt non per se, sed per probationem factam a subalternante.

20. *Ad confirmationem respondetur*, quod tam habitus quam actus scientiæ subalternatæ conveniunt in hoc, quod uterque est evidens evidentia præsupposita in scientia superiori, non a se factâ et resolutâ. Est autem differentia, quod habitus solum est actus primus, habens indifferentiam ad procedendum cum tali applicatione evidentie superioris, vel sine illa : quia actus primus de se solum est applicabilis non de facto applicatus, et potest hoc vel illo modo applicari.

¹ MG debent : mendose || LCP debet : recte.

² Ita omnes || Forte legendum : manifesta. — ³ Omnes : facta.

At vero actus secundus determinate applicationem importat, quia jam de facto est exiens a suo principio. Unde actus semel evidens, etiam evidentiâ præsuppositâ et applicatâ ab alio, non potest reddi inevidens : quia non potest applicatio sua jam facta, et exitus a suo principio sic manifestato et probato, tolli.

21. *Ad secundum respondetur*, quod licet theologia nostra sit habitus acquisitus, non tamen oritur ex principiis acquisitis, sed infusis et supernaturalibus; et sic respicit pro objecto res virtualiter et mediate ¹ revelatas. Unde talis scientia bene potest continuari et perfici ab evidentiâ supernaturali, eo quod per se pendet a principiis supernaturalibus : et ita sub revelatione virtuali procedit, licet formaliter sit naturalis et acquisita. Unde motivum ejus non est pure naturale, sed originative et radicaliter supernaturale; et ideo continuabilis est cum lumine supernaturali claro, et in illud inclinatur ex natura sua, secundum quod ex sua natura petit principia supernaturalia, sive fidei in via, sive luminis gloriæ in patria. — Et ad probationem consequentiæ dicitur, quod etiam ex lumine gloriæ potest acquiri theologia, deducendo per consequentiam veritates aliquas ex his quæ in visione Dei clare videntur : licet hoc communiter non accidat, quia vel præcedit visionem gloriæ theologia nostra acquisita in via ex fide, sicut et ipsa fides : vel in ipsa patria infunditur theologia non habenti illam, non autem acquiritur; de se autem non repugnat acquiri, si beatus, sicut modo continuatur scientiam theologiam et consequentias per illam illatas, ita primo faciat illas et generet scientiam. — Et cum instatur, quod habitus naturalis acquisitus non potest uti lumine et medio supernaturali claro : respondetur id esse verum de habitu naturali acquisito, quod ex omni parte naturale est, tam ex parte principiorum quam ex parte acquisitionis, et sic non est radicaliter supernaturale; at vero habitus theologiæ radicaliter est supernaturalis ex parte suorum principiorum, licet formaliter sit acquisitus. Unde sicut utitur lumine supernaturali fidei ad accipiendum sua principia, ita potest uti lumine evidenti si præsupponatur. Neque est simile de virtutibus moralibus acquisitis, quia istæ non originantur a motivo supernaturali, tamquam a principio essentialiter specificante, licet possint a supernaturali virtute dirigi (v. g. a caritate) tamquam

ad finem extrinsecum; theologia autem nostra respicit principia supernaturalia tamquam essentialia et specificativa, siquidem non habet aliam rationem formalem, quam procedere ex revelatis a Deo : et sic per se habet uti lumine supernaturali, tamquam principio.

22. *Ad primam confirmationem respondetur*, quod quando objecta apparent evidentiâ per novam lucem non factam ab ipsa scientia et per ejus resolutionem, sed præsuppositam et factam a superiori scientia, tunc non exigitur novus habitus scientiæ inferioris; quia semper salvatur idem formale motivum, scilicet tendere in conclusiones deductas ex principiis manifestatis per superiorem scientiam : et solum est variatio quædam extrinseca in hoc quod talis scientia superior sit in eodem subjecto in quo scientia inferior : ex cujus conjunctione perficitur scientia inferior, habendo evidentiâ suorum principiorum non solum præsuppositam, sed etiam applicatam sibi. Quando vero objecta illuminantur novâ luce et evidentiâ ortâ ex ipsomet habitu inferiori, et per resolutionem ab ipso factam usque ad prima principia, non autem præsuppositam in scientia superiori : talis illuminatio novam rationem formalem petit, et consequenter distinctum habitum.

23. *Ad secundam confirmationem respondetur*, quod si daretur theologia per se infusa, in duobus differret a nostra acquisita vel per accidens infusa. Primo, quod theologia infusa per se deberet immediate resolvere in principia per se nota, non autem id præsupponere ab alia scientia factum : ita quod immediate ex natura sua postularet oriri ex lumine gloriæ per revelationem supernaturalem. Secundo, quod veritates ipsæ non solum supernaturaliter cognoscerentur, sed etiam ipsa connexio et consequentia illativa supernaturaliter deberet esse nota, et non lumine naturali acquiri. Unde theologia per se infusa vix potest reperiri formaliter extra visionem Verbi, sed intra ipsam : sed hæc est theologia eminenter, non formaliter; nisi detur aliqua scientia vel revelatio extra Verbum, per se et essentialiter connexa cum lumine gloriæ, et non cum alio lumine, ut evidenter versetur circa ipsum Deum et conclusiones illatas ex illo clare viso.

¹ Omnes : *immediate* : quam lectionem quomodo retineamus,

omnino non videmus.

ARTICULUS VI

Utrum theologia subalternetur principiis naturalibus, ex quibus demonstrat.

1. **P**LURES ex demonstrationibus quæ fiunt in theologia, deduci solent ex una præmissa de fide, et altera lumine naturali nota, ut est in illo vulgari exemplo : « omnis homo est risibilis; Christus est homo; ergo Christus est risibilis; » ubi conclusio dependet ab illa præmissa naturalis ordinis « omnis homo est risibilis »; et tunc est difficultas in duobus. Primo, an talis conclusio respiciat utramque illam præmissam ex æquo, ita ut lumen naturale etiam influat per se directe in illam conclusionem : atque adeo, remotâ præmissâ naturali, et utrâque positâ de fide, mutetur etiam lumen et assensus talis scientiæ. Et secundo est difficultas, an hoc sufficiat ut subalternetur theologia ad scientiam naturalem, cujus est illa præmissa.

2. *Circa primum*, aliqui auctores existimant in theologia assensum ortum ex duabus præmissis de fide, esse distinctum specie ab eo qui oritur ex altera præmissa naturali : et consequenter præmissam naturalem influere ut principale principium et ex æquo influens cum principio de fide, siquidem specificè mutat assensum et lumen illius. Ita sumitur ex Molina (hîc*, art. 3, circa finem disputationis), et sequitur Pater Granados (hîc, disp. 8).

3. *Circa secundum*, est sententia Patris Vazquez (hîc, disp. 7, c. 5), et subscribit Pater Granados (disp. 6, n. 8, in fine), theologiam subalternari aliquo modo illi scientiæ naturali a qua sumit principia, v. g. philosophiæ morali in conclusionibus moralibus deducendis. Cui in hac parte contradicit Arrubal hîc (disp. 2, c. 10), ubi docet theologiam nullis scientiis subalternari.

4. *Supponendum est* id quod diximus præcedenti articulo* de duplici subalternatione : altera ex parte principiorum : altera ex parte subjecti, quando est extraneum et diversum a subjecto scientiæ superioris. Et advertendum, quod non facit subalternationem simpliciter hoc quod est mutuari aliquod principium ab aliis scientiis, ad procedendum ex illo tamquam ex principio extraneo et mutuato. Ratio est, quia subalternatio propria et simpliciter, requirit quod aliqua scientia ex propriis principiis et intrinsicis non possit resolvere in principia per se nota : sed pro evi-

dentia suorum principiorum necessario debeat recurrere ad aliquam aliam scientiam, quæ talem evidentiam faciat. Si autem utitur principiis aliarum scientiarum tamquam extraneis et mutuatis, et in illis solum recurrit ad scientiam extraneam pro illorum evidentia : non manet subalternata intrinsece; quia quantum ad propria et intrinseca principia non accipit evidentiam ab alia scientia, sed solum quoad principia extranea. Et ex hoc judicanda est subalternatio propria et intrinseca : scilicet an inveniatur in principiis intrinsicis et propriis alicujus scientiæ, an solum in externis et mutuatis; præterquam quod scientia subalternata non utitur principiis aliarum scientiarum, sed conclusionibus : assumit enim principia quæ probantur a scientia superiori tamquam conclusiones, non autem principiis superioris scientiæ utitur resolvendo usque ad principia per se nota.

5. **DICO ERGO PRIMO** : Principia naturalia non assumuntur a theologia tamquam propria et per se principia ejus; nec ex hoc aliquam essentialem subalternationem habet theologia ad scientias naturales. — Hæc conclusio est communiter admissa a Thomistis. Videri potest apud Navarrete (hîc, contr. 10) et Gonzalez (q. 1, a. 3, disp. 3, concl. 6). Est expressa Divi Thomæ hîc (art. 5, ad 2), ubi inquit : « Non accipit hæc scientia sua principia ab aliis scientiis, sed immediate a Deo per revelationem; et ideo non accipit ab aliis scientiis tamquam superioribus, sed utitur eis tamquam inferioribus et ancillis : sicut architectonicæ utuntur subministrantibus, ut civilis militari. Et hoc ipsum quod sic utitur eis, non est propter defectum vel insufficientiam ejus, sed propter defectum intellectûs nostri, qui ex his quæ per naturalem rationem (ex qua procedunt aliæ scientiæ) cognoscuntur, facilius manuducitur in ea quæ sunt supra rationem, quæ in hac scientia traduntur. » Ita D. Thomas. Qui etiam videri potest II *Contra Gent.* cap. 4; et in I *Sent.* q. 1 prologi, a. 1.

6. **RATIO** autem SUMITUR ex ipso D. Thoma (I-II q. 66, a. 5 ad 4) : quia sapientia non solum

* disp. 3

* cf. supra, p. 363, n. 4

utitur principiis indemonstrabilibus, sive propriis sive alienis, deducendo conclusiones ex eis, sed etiam judicando de illis et disputando contra negantes ipsa. Unde apparet quod scientia superior, qualis est sapientia, sine subalternatione vel inferioritate, sed servando suam superioritatem, utitur principiis aliarum scientiarum; constat autem quod theologia est sapientia, ut probat D. Thomas (hîc, art. 6) : agit enim de rebus per altissimam causam, et de omnibus judicat, etiam de ipsa metaphysica, et corrigit omnes scientias naturales earumque principia; ergo utitur illis sine ulla subordinatione et subalternatione, sed retinendo suam superioritatem, et non sumendo ab eis certitudinem, sed potius illis præbendo, etiam quando utitur earum principiis.

7. Et potest fundamentum hoc penetrantius explicari, tum generaliter in omni sapientia, tum specialiter in theologia. — *Generaliter* quidem : quia sapientia, seu scientia superior, etiam si aliquando utatur principiis aliarum scientiarum inferiorum, tamen non accipit ex illis certitudinem supremam, qualis est certitudo sapientiæ : quia hæc non potest provenire ex principiis inferioribus, ut inferiora sunt; sic enim non possunt præbere certitudinem illam supremam, qualis est sapientiæ, nisi illa principia sint correcta et iudicata, et consequenter perfecta per ipsam sapientiam; ergo in inferendis illis conclusionibus ita utitur sapientia principiis inferioribus, quod tamen formaliter semper reducitur ¹ ad superiorem rationem sapientiæ, a qua principia inferiora perficiuntur, id est, iudicantur et approbantur et defenduntur; ergo conclusiones sic illatæ a superiori scientia, ut formaliter participant certitudinem supremam qualis est sapientiæ, non dependent a præmissis scientiæ inferioris ut inferior est, licet materialiter utatur illis [scientia superior] : sed solum dependent ² ab illis ut subjectis lumini superiori, et ab eo correctis et approbatis : quod est formaliter dependere solum a lumine superiori, ut sapientiali.

8. *Specialiter* autem habet vim ista ratio in theologia, quia procedit ex principiis elevatis et revelatis; et sic conclusio illata ex principio fidei et præmissâ luminis naturalis, altioris veritatis est quam conclusio pure ordinis naturalis : affirmat enim certo aliquam veritatem, et infert

¹ Omnes : *reducitur* : non male || Fortasse legendum : *reducuntur*, nempe principia scientiæ inferioris quibus utitur sapientia.

illam de subjecto supernaturali, et dependenter a præmissa de fide; et sic præmissa naturalis non potest ibi influere, nisi vel cum aliqua elevatione (siquidem influit in veritatem excedentem ordinem naturalem) : vel solum se habet ut condicio applicativa seu explicativa principii supernaturalis : non vero se habet ut per se principium talis veritatis illatæ; quocumque autem modo ponatur, non subordinatur illi præmissæ naturali, quia non respicit illam ut principium perfectivum sui in quantum naturalis est, sed potius ut perfectam et elevatam a se; ergo non respicit illam per subordinationem et subalternationem.

9. Ex quo colligitur, Patrem Vazquez (disp. 7, cap. 5) non solum falso dicere quod theologia subalternatur philosophiæ morali, sed etiam pugnantia docuisse : dum ex una parte inquit tractatum morale non pertinere ad theologiam, sed illam partem esse philosophiam moralem : ex alia vero docet theologiam subalternari philosophiæ morali. Si enim subalternatur philosophiæ morali : maxime in illa parte quæ docet moralia; nam in pure speculativa, quomodo subalternabitur philosophiæ morali? Si autem in moralibus subalternatur illi : ergo illa pertinent ad theologiam; aut si non pertinent, quomodo in illis subalternatur philosophiæ?

10. DICO SECUNDO : Quando theologia sumit principia naturalia ad inferendum suas conclusiones, probabile est quod talis præmissa naturalis non concurrat ut causa principalis assensûs, et ut præbens rationem formalem : sed ministerialiter, et tamquam condicio, seu applicatio, aut explicatio præmissæ supernaturalis, propter defectum nostri intellectûs et imperfectionem in cognoscendo omnia quæ pertinent ad revelata per fidem. Probabile etiam est, quod illa præmissa concurrat ut ratio formalis et verum principium, ut tamen elevata et iudicata, seu approbata a principio supernaturali : et sic formaliter tota ratio reducitur ad principium superius. — Uterque modus dicendi admittitur a Thomistis, ut videri potest apud Magistrum Gonzalez (hîc, disp. 3, n. 54), et Navarrete (controv. 10, § unic. circa finem). Et bene inspectus secundus modus non contrariatur primo, sed illum explicat et juvat. Nam præmissa naturalis dupliciter potest consi-

² Omnes : *dependet* : minus recte, nisi subintelligatur : *theologia*.

derari. Uno modo ut præcise procedens ex propriis ad illustrandum conclusionem : alio modo ut superadditur illi nova aliqua ratio seu illustratio, ex conjunctione ad præmissam de fide; quia cum fides possit judicare de veritatibus naturalibus, easque corrigere si in aliquo deficient, consequenter si illas approbat et assumit ad inferendum conclusiones, perfectiores reddit in ratione certitudinis : magis enim certificamur de his quæ videmus a fide approbari, seu non reprobari, utpote altiori lumini subjecta et conformia, nec ab ipso reprobata : et sic, ut iudicata et approbata a fide, reducuntur ad altiorem rationem, et elevari dicuntur a superiori lumine; et sic D. Thomas (in I ad Annibald. prolog. q. 2, a. 2 ad 2) inquit quod « dupliciter potest una scientia supponere aliquid ab alia : uno modo ut principium quo de aliis iudicet, et sic inferior scientia accipit a superiori. Alio modo sicut illud de quo iudicetur, et sic scientia superior accipit ab inferiori. Hoc autem modo accipit hæc doctrina ab aliis, et non primo : ipsa enim iudicat de his quæ sunt in aliis scientiis per principia propria, et non e converso ». Ita Div. Thomas. Ergo sentit quod principia inferioris scientiæ concurrunt cum principiis hujus scientiæ, ut iudicata et approbata a superioribus principiis; et sic accipiunt ¹ majus robur et certitudinem, utpote iudicata a superioribus principiis fidei, tamquam a superiori tribunali : magis autem certificamur de aliqua re, quando videmus ab altiori iudicio confirmari et approbari. Principia autem sic certificata majori lumine, influunt ut causæ principales, et tamquam veræ præmissæ et principia : quia induunt eandem rationem formalem superiorem, licet participative; et consequenter sub illa non manent tales præmissæ ut inferiores. Ceterum si præmissæ naturales considerentur ut præcise ex propriis naturalibus, sic non præbent rationem formalem influendi in conclusionem : sed ministerialiter deserviunt superiori lumini fidei, manuducendo intellectum nostrum ad ea quæ in fide continentur virtualiter et illative : eo quod noster intellectus propter deficientiam suam non potest ex solo lumine fidei explicare se sine alio adjumento in omnia quæ sub fide virtualiter continentur, sed hoc accommodatius ad suam debilitatem facit per ea quæ cognoscit lumine naturali.

¹ Omnes : accipit : vix tolerabile, nisi forte subaudiatur scientia inferior.

11. Unde D. Thomas in præsentī quæstione (art. 5 ad 2) dicit quod theologia « non accipit tamquam a superioribus, sed utitur eis tamquam inferioribus et ancillis, sicut architectonicæ utuntur subministrantibus, ut civilis militari; et hoc ipsum quod sic utitur eis, non est propter defectum vel insufficientiam ejus, sed propter defectum intellectus nostri, qui ex his quæ per naturalem rationem cognoscuntur, facilius manuducitur in ea quæ sunt supra rationem, quæ in hac scientia traduntur »; ergo secundum Div. Thomam naturales veritates prout naturaliter cognoscuntur, non deserviunt ut principia per se illuminantia objectum theologiæ : sed propter defectum et imperfectionem subjecti, scilicet intellectus nostri, cui propter suam debilitatem magis accommodantur res supernaturales fidei per hanc applicationem luminis naturalis et modi connaturalis intelligendi, quam sine illo. Et hoc est ministerialiter illi deservire, non principaliter : quia non propter indigentiam luminis supernaturalis ex se, sed propter accommodationem ad hoc subjectum, utitur illis principiis, non propter deficientiam intrinsecam luminis superioris.

12. Et sic videtur satis fundari conclusio quantum ad hanc partem quia lumen supernaturale de se non indiget illâ præmissâ naturali, quia ad illam extendi potest sine adminiculo naturalis luminis, solum beneficio ipsius Dei revelantis, si magis explicaretur in ipso intellectu : sicut invenitur in scientia animæ Christi, quæ ex revelatione est orta, et ad omne naturale se extendit. Ergo ex imperfectione subjecti participantis illud lumen, provenit quod illi ministret scientia naturalis; non tamen id provenit ex ipsa specifica ratione theologiæ, quasi tali lumine naturali indigens ² ex propria specie sua.

13. *Dices* : Sive hoc possit lumen naturale sive non, tamen suppositâ imperfectione subjecti, de facto utitur theologia illâ præmissâ naturali ut vere et proprie inferente, et influente in conclusionem : non quod se habeat ut condicio, seu ministerialis applicatio tantum. — *Respondetur* : influere quidem, et inferre illam præmissam : sed ut subjectam fidei, et elevatam ab ipsa, quatenus ejus correctioni et approbationi subjicitur, et sic de ejus certitudine participat. Sed tamen considerata illa præmissa quantum ad id quod est naturalis luminis in illa, ex hac parte solum

² Ita omnes. Intelligendum : quasi tali lumine naturali indigens esset || Aut certe legendum : indigentis.

se habet ut deserviens ad hoc ut connaturalius utamur præmissâ fidei juxta nostrum modum intelligendi, applicando et explicando illam ad inferendam conclusionem : sicut explicatum est.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

14. **PRIMO ARGUITUR** : conclusio theologica deducta ex una de fide et altera de lumine naturali, infertur per veram dependentiam et illationem ab utraque præmissa, et non ab una tantum; ergo illa conclusio subordinatur utrique præmissæ; alias si ab una tantum inferretur, non esset syllogismus, nec discursus integer : si autem est syllogismus, vere componitur ex tali præmissa naturali; ergo conclusio illata subordinatur illi scientiæ et lumini a quo desumitur illa præmissa. — Unde manet exclusa solutio Patris Arrubal (hîc, disp. 2, cap. 10), quod non subordinatur alicui scientiæ naturali, quia potest illam præmissam naturalem desumere ex lumine principiorum. Contra hoc enim est, quia jam fatetur hæc solutio subordinari theologiam lumini naturali, sive sit scientificum, sive lumen principiorum (hoc enim materialiter se habet). Et deinde, quia conclusio theologica non potest semper immediate desumi ex lumine principiorum, sed mediante aliquo discursu naturali, et consequentiis inde deductis; sicut illa conclusio « Christus est risibilis », non deducitur immediate ex definitione hominis quæ innotescit lumine principiorum : sed ex illa deducitur per consequentiam, quod homo sit admirativus, et ex eo quod admirativus, quod sit risibilis; unde per multas consequentias et discursus naturales reducitur ad lumen principiorum; ergo non solum subordinatur illi, sed etiam scientiæ discurrenti.

15. **Confirmatur** : quia theologia est scientia naturalis et acquisita, ut infra * ostendetur; ergo continetur in seminario omnium scientiarum naturalium, scilicet in habitu principiorum, a quo omnes scientiæ naturales derivantur; ergo theologia subordinatur illi, et non solum principiis supernaturalibus.

16. **RESPONDETUR** ex supradictis, quod præmissa naturalis consideratur dupliciter. Primo, secundum quod præcise naturalis est; et sic ex hac parte non concurrat nisi ministerialiter, et ex defectu subjecti non perfecte participantis supernaturalis lumen : non autem ex indigentia luminis theologici, loquendo ex specie sua, seu ut

respicit objectum. Alio modo consideratur præmissa naturalis, ut conjuncta præmissæ supernaturali de fide, scilicet ut ab ea elevatur : quia approbatur et corrigitur ab ipsa, et ejus certitudinem participat; et hoc modo etiam præmissa naturalis concurrat, non principaliter et per se, sed sub altiori lumine, ut dictum est. Et hac ratione viri doctissimi dicunt concurrere præmissam de fide, et naturalem, quatenus in uno medio uniuntur, licet secundum se sint lumina diversi generis : quia non concurrat præmissa naturalis, ut lumen naturale est, nisi ministerialiter et dispositive : ut autem participat de certitudine fidei, atque ab ea elevata et approbata, concurrat sub eadem ratione formali qua fides, quatenus de ejus certitudine et ratione formali participans.

17. **Ad confirmationem respondetur**, quod theologia est scientia naturalis acquisita formaliter, originative tamen et virtualiter est ex principiis supernaturalibus in quibus fundatur. Unde non continetur in lumine principiorum naturalium ut præcise naturalia sunt, sed prout illustrantur et perficiuntur lumine fidei. Fides enim propter suam superioritatem non solum perficit scientias, sed etiam principia, quia etiam de eis habet judicare et corrigere. Unde in ipsa fide radicatur theologia, vel in habitu principiorum, ut illustrato per fidem.

18. **SECUNDO ARGUITUR** : scientia quæ nititur principiis desumptis ab altera scientia, subordinatur illi vel simpliciter, si omnia principia ab illa desumat, vel secundum quid, si solum aliqua mutuetur; sed theologia accipit pure principia a naturalibus scientiis, ut videmus in multis demonstrationibus; ergo saltem secundum quid subordinatur aliquo modo theologia aliis scientiis; nec amplius vult Pater Vazquez et Grados ubi supra *. — Nec sufficit dicere, quod concurrat præmissa naturalis ministerialiter et dispositive : nam non potest explicari quid sit hoc *ministerialiter*, siquidem conclusio illata per præmissam naturalem vere respicit illam ut inferentem et manifestantem se : non est autem alius modus concurrendi per modum præmissæ principalis, nisi inferendo et manifestando conclusionem; si autem non concurrat inferendo, nullo modo concurrat etiam ministerialiter.

19. **Confirmatur** : quia quando dicitur quod præmissa naturalis elevatur a præmissa de fide : vel intelligitur quod per hanc subordinationem

* cf. infra,
art. 8

* citati supr.
p. 369, n. 3

non extrahitur præmissa naturalis a sua propria specie et formali ratione, sed per ipsam etiam influit : vel extrahitur ab illa, et transit in speciem præmissæ supernaturalis. Hoc secundum dici non potest : tum quia sic corrumpetur præmissa ordinis naturalis, quod est impossibile; tum quia jam totus syllogismus constaret ratione supernaturali et lumine, et sic theologia non esset scientia naturalis et acquisita. Si dicatur primum : ergo manet præmissa naturalis ut influens per suam rationem formalem, et tota illa elevatio extrinseca est, et non mutat aliquid de præmissa naturali : et consequenter influit illa præmissa ut principalis causa, etiam secundum quod naturalis est.

20. RESPONDETUR : quod licet theologia mutetur aliqua principia ab aliis scientiis ad inferendum suas conclusiones, non tamen subordinatur illis sicut aliæ scientiæ quæ id faciunt; eo quod, ut diximus, theologia accipit ista principia ut scientia suprema, quæ ita sumit principia inferiorum scientiarum, quod tamen communicat eis majorem certitudinem; quia, ut diximus, judicat de illis, defendendo et approbando et explicando : et ita sine subordinatione ad illa, sed potius subjiciendo ea sibi, facit et influit in conclusionem; et sic non accipit illa principia sistendo in earum¹ certitudine, sed illam etiam perficiendo et approbando : siquidem concurrunt² ad conclusionem certitudine superioris scientiæ, qualis est sapientia. Unde dicit D. Thomas (in hac quæst. a. 6, ad 2) quod « non pertinet ad hanc scientiam probare principia aliarum scientiarum, sed solum judicare de eis : quidquid enim in aliis scientiis invenitur veritati hujus scientiæ repugnans, totum condemnatur ut falsum ». — Et quando dicitur quod non potest explicari quid sit ministerialiter se habere præmissam naturalem, et non principaliter : respondetur ex dictis quod præmissa naturalis, ex propriis et præcise naturalibus non deservit ad explicandum objectum theologicum ex necessitate aliqua vel defectu ipsius luminis : sed solum propter defectum intellectûs non perfecte participantis lumen supernaturale, accommodate et proportionate illum manuducit, et veluti disponit ad ea quæ sunt inferenda ex supernaturali lumine; ut autem elevatum et approbatum a fide, influit principaliter tamquam verum et proprium principium conclusionis inferendæ.

¹ Omnes : earum : quod potest tolerari si subaudias : scientiarum inferiorum. || Melius tamen legeretur : eorum.

21. Ad confirmationem respondetur : non corrumpi præmissam naturalem quantum ad id quod naturalis luminis est : sed perfici et elevari, quatenus participat majorem certitudinem ex conjunctione ad fidem, in quantum ab ipsa fide judicari et corrigi potest, aut approbari, talis veritas naturalis; licet enim non probetur principium naturale per theologiam, approbatur tamen et judicatur. Quando autem aliquod lumen influit in conclusionem ut reducibile ad superius lumen, sive per illud probetur, sive tantum approbetur aut corrigatur : non destruitur, sed influit ex propriis, tamquam inferius et ministeriale, et cum subordinatione ad superius; ex participatis autem a superiori lumine cui conjungitur, influit ut principale, quatenus participat eamdem rationem a superiori : et sic non destruitur, sed perficitur, quatenus confirmatur in sua certitudine per illam extrinsecam approbationem et subordinationem.

22. ULTIMO ARGUITUR : quia lumen naturalis præmissæ et præmissa de fide, sunt diversi generis et ordinis; ergo non possunt convenire in unum lumen unius speciei, neque assensus ille theologicus sub uno lumine procedere. — Confirmatur : quia præmissa naturalis est evidens, et ex conjunctione ad fidem non redditur magis certa; ergo solum redditur³ subalternata illi lumini naturali, a quo talis præmissa procedit. — Antecedens constat : quia illa præmissa accipitur ut nota lumine naturali, et sic ab eo habet evidentiam; ex fide autem non participat majorem certitudinem, quia non participat ejus rationem formalem; ergo neque effectum formalem ejus, qui est major certitudo. — Consequentia vero patet : nam illi subjicitur talis præmissa, a quo dependet et participat; constat autem quod participat evidentiam a lumine naturali, cum evidentior sit consequentia illata ex altera præmissa luminis naturalis quam ex utraque de fide (tunc enim simpliciter manet obscura); ergo in eo in quo participat evidentiam, subordinatur lumini naturali.

23. RESPONDETUR : illud argumentum currere in omnibus scientiis quæ mutuuntur principia ab aliis, et tamen inferunt suas conclusiones sub sua ratione specifica, quia utuntur illis principiis mutuatis ut modificantur et approbantur vel corriguntur a lumine alterius scientiæ et sic traduntur ad participandum formalem rationem

² Ita omnes. Supple : principium inferioris scientiæ.

³ Ita omnes. Subaudiendum : theologia, vel : præmissa de fide.

alterius scientiæ : ut patet in scientiis superioribus quæ utuntur inferiorum scientiarum principiis, ut approbatis a certitudine superioris scientiæ. Et sic licet lumen naturale, et supernaturale secundum se sint diversi generis vel ordinis : tamen uniuntur per subordinationem unius ad alterum, quatenus lumen naturale certificari et approbari potest a supernaturali, et sic participat de ejus ratione formali, et in eadem convenit cum illa; quæ ratio formalis directe est in præmissa de fide, et participative in præmissa naturali, quatenus approbata a superiori lumine, et consequenter magis certificata ex tali approbatione quam ex proprio et solo lumine naturali. Unde S. Thomas (I *Contra Gent.* c. 4; et II-II q. 2, a. 4; et in hac quæst. 1, a. 1) docet per fidem magis nos certificari de his quæ naturali ratione cognoscimus de Deo, quia ratio nostra est multum deficiens et errori subjecta. Et certitudo hæc dicitur convenire extrinsece, quia convenit per approbationem superioris scientiæ, non per probationem : probatio enim intrinsece manifestat rem probatam; approbatio autem solum confirmat suo testimonio, vel utendo illa veritate, et sic perficit illam. Unde non intelligitur quod fides approbando præmissam naturalem reddat illam de fide : sed solum accipit illam ut non repugnantem, sed conformem sibi. Et ideo non est tam certa conclusio, cum deducitur ex altera

præmissa naturali, quam cum ex utraque de fide : quia quando utraque est de fide, utraque habet essentialiter eandem certitudinem; quando autem altera est naturalis, solum habet participative per conformitatem et subordinationem ad fidem; et tamen dicitur non concurrere principaliter sub propria et naturali ratione, sed sub lumine superiori : quia sumitur illa præmissa non propter se tantum, sed ut reducibilis ad superiorem rationem, et regulabilis per lumen fidei cui subordinatur.

24. *Ad confirmationem dicitur*, quod illa conclusio procedit ex præmissa naturali evidenti, non sistendo in ipsa evidentia naturali, sed regulando illam per certitudinem et approbationem fidei : quod est reduci illam evidentiam ad superius lumen. — Et cum instatur, quod fides non communicat certitudinem, quia non communicat suam rationem formalem : respondetur quod non communicat suam rationem formalem essentialiter, sed participative : quatenus reddit præmissam naturalem regulabilem et reducibilem ad certitudinem fidei, quatenus ab ea approbatur et corrigitur, ut dictum est. Unde non subordinatur theologia præmissæ naturali, quatenus naturalis luminis est : sed potius subordinat eam sibi, quatenus sibi ministrat, et altioris luminis certitudinem per approbationem ejus illi participat.

ARTICULUS VII

Utrum theologia sit una scientia unitate specificâ.

1. **L**OQUIMUR de scientia theologica, et non solum de doctrina; nam in doctrina theologica possunt etiam comprehendi discursus aliqui probabiles et opinativi circa materias theologicas : quos certum est de se distinctum habitum a scientia theologica generare, quia nec evidentes sunt nec certi. Unde multo magis distinguitur theologia ab aliis habitibus opinativis circa alias materias : quia et incerti sunt, et doctrinam theologicam non attingunt. Quare opiniones quæ in aliqua scientia versantur, numquam constituunt unam rationem formalem cum tali scientia, sed aggregantur illi materialiter. Similiter demonstrationes, si quæ fiunt in progressu hujus scientiæ ex solis et meris principiis naturalibus, sine subordinatione et

deductione ex revelatis : tales demonstrationes non pertinent ad habitum theologicum, sed ut extraneæ in hac scientia admittuntur. Quare solum loquimur de habitu theologico, prout comprehendit veritates scientificæ et certo deductas ex principiis revelatis, vel per subordinationem ad illa. Ubi etiam distinguitur theologia a fide : quia fides præbet principia, theologia autem deducit conclusiones ex illa. Et sic distinguitur a fide sicut habitus scientiæ ab habitu principiorum in naturalibus. — Nec potest dici quod habitus fidei extensive est theologia, ut Scoto (in III D. 35) attribuit Molina (hîc, art. 2, disp. 2); quia rationes formales sunt distinctæ multo magis quam in habitu principiorum et scientia (in quibus habitus principiorum non

dicitur attingere conclusiones scitas, extensive) : quia fides nititur testimonio dicentis sine discursu, theologia autem respicit veritates per discursum deductas, et virtualiter seu mediate revelatas.

2. Igitur in præsentī solum inquirimus an theologia nostra acquisita (omittimus enim infusam per se, quæ ex tali specifica infusione distinguitur ab acquisita) habeat rationem formalem specificam ita unam, ut omnes ejus assensus sint ejusdem speciei formaliter : an vero sint diversæ speciei ita quod non ordinentur sub uno lumine, sed potius diversa lumina aggregentur. — Et secundo, dato quod sint omnes unius speciei, quænam sit ratio formalis quæ istam unitatem præbere possit tamquam ratio formalis specificativa. Et distinguimus rationem formalem sciendi a ratione formali repræsentandi, sive in ipsis conceptibus, sive in speciebus, quibus utitur scientia : repræsentatio enim hæc potest esse multiplex secundum diversitatem rei repræsentatæ; ratio autem assentiendi potest esse una circa plures res repræsentatas, quia pertinet ad iudicium quod de illis formatur, quod potest procedere sub eodem lumine et principiis circa res entitative diversas et repræsentatas. Neque in præsentī agimus de unitate scientiæ in ratione qualitatis et habitûs, quod se tenet ex parte subjecti : sed solum de specificatione ejus, ut ex parte objecti desumitur, et de ratione formali attingendi illud.

3. Igitur *quantum ad primum* est opinio aliquorum, ut Patris Molinae (hic, art. 3, disp. 3 ad finem), Granados (disp. 8, concl. 2*), quod in theologia sunt assensus specie distincti, quando conclusio procedit ex una præmissa naturali et altera de fide, et quando procedit ex duplici de fide; sed Molina hoc solum admittit ut probabile, Granados absolute. — Ex alia parte Pater Vazquez (disp. 7, cap. 4) sentit quod sive conclusiones theologiæ deducantur ex fide infusâ, sive acquisitâ, sunt ejusdem speciei : quod a fortiori dicendum est si altera præmissa sit naturaliter evidenter cognita. Fatetur tamen Pater Vazquez theologiam non esse unam scientiam, si complectatur partem moralem : sic enim esse diversam specie. — At vero Pater Arrubal (in hac quæst. disp. 3) absolute sentit theologiam esse unam scientiam, sive procedat ex altera præmissa naturali, sive non.

* Ita omnes || Censemus legendum : *ab unitate*.

4. *Quantum ad secundum* videtur opposito modo procedere in hac parte Molina, et Vazquez. Nam ille (super art. 3, disp. 2) docet rationem *sub qua* formalem theologiæ non esse revelationem ipsam virtualement seu mediatam, sed ipsam scibilitatem seu cognoscibilitatem objecti per talem revelationem. Vazquez autem (disp. 7 citata, cap. 3) rejicit distinctionem illam formalis rationis *quæ* et *sub qua*, et docet nullo modo sumi unitatem et distinctionem scientiæ a scibilitate objecti : cum enim objectum dicatur scibile quia subest tali scientiæ, si scientia specificaretur a scibilitate, committeretur circulus a scientia ad scibile, et e contra : quod damnat Philosophus v *Metaph.* (c. 15), ubi docet quod scientia non refertur ad scibile, ut scibile est, sed scientia terminatur ad ipsam rem quæ est scibilis. Sumit autem unitatem theologiæ ex eo quod dicit respectum ad unum subjectum, et consequenter a veritate ¹ subjecti in esse rei sumit unitatem scientiæ (ut videri potest cap. 4, in initio; et cap. 5, in fine). Ad idem tandem inclinatur Pater Granados (disp. 8, in fine *), dum habitum theologiæ solum dicit esse unum quia respicit unum subjectum, scilicet Deum.

5. SENTENTIA DIVI THOMÆ (in præsentī quæst. a. 3) sumit unitatem theologiæ ex unitate rationis formalis, quam dicit esse revelationem divinam, virtualement scilicet, quatenus objecta sunt deducibilia ex divinitus revelatis. Circa quam sententiam, dubium est de qua ratione formali loquatur : an de ratione formali *quæ*, sicut est color respectu visûs, an de ratione formali *sub qua*. Nam quod intelligat de ratione formali *quæ*, videtur convincere exemplum a Divo Thoma adductum de colore : et eo convincitur Pater Arrubal (ubi supra, cap. 3) ad intelligendum sic Div. Thomam contra Cajetanum *. Quod vero intelligendum sit de ratione *sub qua*, videtur ipsâ ratione Div. Thomæ convinci, quia ponit revelationem pro objecto formali : revelatio autem non est res cognita tamquam ratio *quæ*, sed tamquam ratio *sub qua* (quidquid dicat Molina super hunc art. 3, disp. 2) : conclusio enim theologica attingitur sub ratione revelati virtualiter, non ipsa ratio revelationis est quæ attingitur. Hinc orta est varietas inter Thomistas ad explicandum hanc rationem formalem *sub qua*. Nam quidam explicant illam, quod sit aliqua formalitas, seu lumen intrinsecum ipsi habitui seu scientiæ, quæ

text. 20 (Bekker 1021 a 29 sqq.)

* n. 10

* n. 4

hic, disp. 7, c. 5

* in 1 P. q. 1 a. 3

specificatur ab objecto et tendit ad illud, ut Magister Bañez (in præsentī art. 3). Alii sumunt istam rationem *sub qua*, ex ipso medio quo scientia procedit ad probandum et manifestandum suas conclusiones : quod medium nihil aliud est quam ipsæ præmissæ ut dispositæ ad inferendum : sic enim constituitur lumen, non simplex, sed illativum et scientificum; ita Magister Navarrete (hîc, *controv.* 5*, § 4 et 5). Alii ex diversa abstrahibilitate et immaterialitate objecti sumunt rationem formalem *sub qua* : quæ etiam immaterialitas invenitur in revelatione virtuali theologiæ; de quo videri potest Magister Gonzalez (hîc, *disp.* 3, circa num. 60).

* *revera* :
controv. 9

6. DICO PRIMO : Theologia est una scientia secundum speciem infimam, sive procedat ex utraque præmissa de fide, sive altera de fide, altera ex ratione naturali; sive versetur circa speculativa, sive circa moralia. — Sumitur ex D. Thoma qui sine ulla distinctione hanc scientiam *unam* appellat ad quæcumque objecta se extendat, etiam ad naturalia, ut ait ibi* (*solutione ad 2*) : cum tamen fateatur aliquando uti principiis ab aliis scientiis acceptis (in art. 5, *solutione ad 2*). Specialiter, quod sit una et eadem, etiam quando tractat de moralibus, constat : quia docet eandem theologiam esse simul practicam et speculativam, ut patet in articulo 4. Constat autem quod de moralibus agit in quantum practica. Et denique videri potest in I D. 1*, q. 1, a. 2, ubi inquit quod « ista scientia unica manens, non multiplicata, diversarum rerum considerationem habet : non tantum in communi, sicut metaphysica quæ considerat omnia in quantum sunt entia, non descendens ad propriam cognitionem moralium vel naturalium; ratio enim entis cum sit diversificata in diversis, non est sufficiens ad specialem rerum cognitionem, ad quarum manifestationem divinum lumen in se unum manens habet efficaciam ».

* q. 1, a. 3,
ad 2

* *rectius* : in
I *Sent.* q. 1
prolog. a. 2

7. FUNDAMENTUM CONCLUSIONIS est, quia theologia in omnibus suis veritatibus procedit sub eadem ratione formali : scilicet respiciendo illas ut virtualiter revelatas, sive procedatur ex duabus præmissis de fide, sive ex altera luminis naturalis. — Et quidem si procedatur ex duplici de fide, constat : quia talis conclusio illata non est immediate de fide tamquam credita, sed per discursum cognoscitur ut illata; ergo non respicit immediate revelatum, sed ex revelatis deductum, quod est virtualiter revelatum. Omnes

ergo conclusiones deductæ ex duplici de fide conveniunt in eadem ratione formali cognoscendi : scilicet, quia procedunt ex revelatis, et ex vi discursûs et illationis cognoscuntur; non sicut consequentiæ et illationes illæ quæ in ipsa Scriptura immediate revelatæ sunt : tales enim veritates etiam immediate creduntur. Quæ vero per nostram industriam discursu deducuntur, sub eodem lumine virtualis revelationis attinguntur; licet enim utraque præmissa, secundum se sumpta, sit de fide : connexio tamen earum inter se, non est per fidem cognita, sed naturali discursu, et ex revelatis deducta. — Quando vero altera præmissa est lumine naturali cognita, et altera de fide, adhuc non extrahitur a ratione formali virtualis revelati : quia conclusio infertur ex tali præmissa naturali, ut conjuncta et elevata a præmissa de fide, et ut illi deserviens ac ministrans (ut præcedenti articulo late probatum est); ergo semper producit assensum ejusdem speciei circa veritates sic deductas, quia non inferuntur ex vi præmissæ naturalis ut præcise naturalis certitudinis est, sed ut approbatæ a præmissa supernaturali, et [ut] de ejus certitudine participat; ergo procedit ut deducens conclusionem ex certitudine revelata : siquidem ex participatione ejus in præmissa naturali, ut ministrante et deserviente superiori scientiæ, procedit conclusio...

8. *Respondet Pater Granados* (ubi supra), quod illa conclusio ex una tantum de fide illata, est virtualiter revelata inadæquate : continetur enim etiam in altero principio naturali. — *Sed contra* : Tum quia etiam illa præmissa naturalis est reducibilis ad præmissam supernaturalem, et ab ea participans certitudinem; ergo conclusio illata non continetur in ea ut absolute naturalis est, sed ut participans de certitudine supernaturalis præmissæ, et ad illam reducibilis; ergo adæquate continetur in lumine virtualis revelationis, quia naturalis præmissa non continet conclusionem ratione naturalis evidentiae præcise, sed ratione participatæ certitudinis a fide. Tum etiam quia si inadæquate illa conclusio est revelata, quia pendet ab una præmissa naturali, et altera de fide : ergo non solum diversæ conclusiones in theologia habent diversos specie assensus, sed etiam unica et eadem conclusio procedet a duplici lumine specie distincto : siquidem dependet a duplici præmissa distincti luminis, quæ non coadunantur in unica ratione formali virtualis revelationis; aut assignetur quæ sit illa ratio formalis in qua uniuntur, et habebimus intentum.

disp. 8, *concl.*
2, n. 6

Dicere autem quod una et indivisibilis conclusio non habet assensum unius speciei in eadem scientia, sed a duplici lumine distincto procedit : omnino falsum est; quia assensus unius conclusionis sub lumine illativo procedit, et illativum lumen necessario coalescit ex duplici præmissa : et tamen in quantum illativum, semper est unum, quia ad unam scientiam spectat.

9. Quod vero etiam ut extenditur ad partem moralem hæc scientia una sit, ex eo constat : quia ex eisdem principiis theologia versatur circa moralia et circa speculativa, cum sit simul speculativa et practica; ergo omnia illa pertinent ad idem lumen et scientiam. — Consequentia patet : quia lumen scientiæ sumitur ex unitate principiorum : omnia enim ad quæ ex vi principiorum potest aliqua scientia extendi, sub unitate illius luminis continentur. — Antecedens probatur : quia theologia procedit ex principiis revelatis in Scriptura. Sed constat in Scriptura contineri multa pertinentia ad præcepta moralia et instructionem nostram; unde dicitur (II ad Tim. III, 16, 17) : *Omnis Scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitia, ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus.* Ergo independenter a philosophia morali, ex suis principiis revelatis potest theologia discurrere circa res morales; immo ea quæ philosophi tradunt circa mores, per hanc scientiam corriguntur. Pertinet ergo ad principia hujus scientiæ etiam moralia attingere : id est, ad principia revelata in Scriptura, ex quibus theologia formare potest discursus suos. Unde Augustinus (epist. 3) de theologia loquens dicit : « Hic invenitur physica, quoniam omnes omnium rerum causæ in Deo sunt; hic ethica quoniam vita bona et honesta non aliunde formatur quam cum ea quæ diligenda sunt, quemadmodum diligenda sunt, diliguntur. »

10. **DICO SECUNDO : Ratio formalis sub qua theologiæ est divina revelatio virtualis.** — Quando autem D. Thomas probat (in art. 3) theologiam esse unam scientiam, quia ejus ratio formalis est una, loquitur de ratione formali *sub qua*. Hoc enim ex articulo 7 infra colligitur, ubi dicit quod « illud est proprium objectum potentiæ vel habitûs, sub cuius ratione omnia referuntur ad potentiam vel habitum, sicut homo et lapis referuntur ad visum sub ratione colorati; omnia autem in hac scientia attinguntur sub ratione

Dei ». Quod utique intelligitur sub ratione Dei revelantis. Sumitur ergo revelatio a D. Thoma pro ratione formali *sub qua*, cum dicit : « Sub cuius ratione attinguntur, etc. » Nec obstat, quod (tam in art. 3, quam 7) ponit exemplum in colore, qui non est ratio *sub qua* respectu visûs, sed ratio *quæ*. Nam Div. Thomas non loquitur de colore, nisi ut lucido, et sic ut includente rationem formalem *sub qua* visûs, quæ est lux : licet hæc etiam habeat rationem formalem *quæ*, eo quod attingitur ut objectum, cum sit res posita extra potentiam visivam, tamquam aliquid directe visibile.

11. Duo ergo nobis probanda sunt. Primum, quod revelatio virtualis sit ipsa ratio formalis *sub qua*, seu ultimo specificativa theologiæ. Secundo, ostendendum est quid nomine revelationis virtualis intelligatur, et quid ad illam concurrat, et quid in objecto ponat.

11^{bis}. *Primum* constat ex D. Thoma in hac quaestione (art. 3), ubi docet quod « quia Scriptura considerat aliqua secundum quod sunt divinitus revelata, omnia quæcumque sunt divinitus revelabilia communicant in una ratione formali objecti hujus scientiæ ». Ubi D. Thomas pro Scriptura ponit immediate revelata, quia ea quæ Scriptura tradit sunt credita de fide; pro scientia autem theologiæ ponit revelabilia, quæ sunt virtualiter seu in potentia revelata; ergo virtualis revelatio est formalis ratio hujus scientiæ, ut distinguitur a Scriptura, et a reliquis scientiis. Videri etiam potest art. 7 hujus quaestionis, et in I *ad Annibald.* (dist. 1^{*}, q. 1, a. 2) ubi docet subjectum hujus scientiæ esse Deum, ut subest revelationi, seu per viam fidei manifestatur : sed non ut immediate creditus et revelatus per fidem, sed ut infertur et scitur ex revelatis : ergo ut virtualiter revelatus. — Et ratio est : quia hæc scientia per se habet pro principiis ea quæ formaliter sunt revelata per fidem, ita quod revelatio ipsa est ratio assentiendi principiis hujus scientiæ; sed conclusiones illatæ virtualiter continentur in principiis; ergo revelatio virtualis, id est, continentia virtualis conclusionum in principiis fidei, quæ sunt formaliter revelata, est ratio assentiendi conclusionibus, ut illatis ex talibus principiis; neque enim habemus aliud nomen, quod incomplexè significet hanc rationem formalem theologiæ.

12. *Secundum*, quod explicandum est, consistit in assignandis his quæ requiruntur, ut virtualis revelatio sit ratio formalis hujus scientiæ. Com-

ep. 137, c. 5,
n. 17; PL 33,
524

* reverâ
prolog. q.
a. 2

munitur autem duplex condicio seu ratio debet concurrere in constituenda et assignanda formali ratione alicujus scientiæ. Primum, in quo convenit generaliter cum omni lumine intellectuali : scilicet quod constituatur per immaterialitatem, seu abstrahibilitatem a materia : inde enim sumitur spiritualitas seu intelligibilitas objecti ; et ita abstrahibilitas non est ratio ipsa formalis, sed principium a quo sumitur ratio formalis cognoscibilitatis objecti in linea intelligibili. Secundum, quod constituat illuminationem seu manifestationem intelligibilem, non modo simplici, sed modo illativo et scibili : quia scientia manifestat deducendo unum ex alio. — Et primum constat : quia formalis ratio *sub qua* objectum cognoscitur, est illa ultima formalitas qua objectum manifestatur intelligibiliter, et proportionatur intellectui, ut intelligatur ; unumquodque autem redditur intelligibile per hoc quod modo spirituali illuminatur et manifestatur : spiritualis autem illuminatio sumitur ex abstractione materiæ, quia spiritualitas immaterialitas est. Ratio ergo formalis, seu forma *sub qua* aliquid redditur intelligibile, seu proportionatum intellectui, in immaterialitate fundari debet, et ab ea ut a principio originari ; et secundum diversum modum quo materia exuitur seu derelinquitur vel abstrahitur, sic fit diversum lumen, seu diversa ratio formalis intelligendi. — Secundum etiam manifestum est : quia lumen scibile, secundum quod scibilitas addit supra simplicem cognitionem, debet esse lumen illativum, et manifestativum veritatum mediante illatione et consequentiâ ; ergo oportet quod ratio illa formalis quæ reddit rem intelligibilem, descendat a principiis ad conclusiones, seu a mediis per quæ infertur aut cognoscitur conclusio : quia medium constat ex præmissis, seu principiis dispositis ad inferendum. Et sic ex diversitate medii, seu principii illuminantis, sumitur diversa ratio formalis in quantum scibilis illativa. Quare virtualis revelatio utramque hanc rationem includit : sumitur enim ex principiis fidei, quæ sunt luminis supernaturalis, et consequenter maxime spiritualia et elevata supra intelligibilia naturalia, utpote cum sumantur ex participatione luminis divini. Et per hanc spiritualitatem, seu immaterialitatem sic elevatam, discernitur a lumine et intelligibilitate naturali cujuscumque objecti naturalis. Per hoc autem quod principia fidei sumuntur ut illativa conclusionum, constituunt rationem formalem theologiæ in ratione luminis

scibilis, et virtualis revelationis : quatenus illativo modo, et non simplici, manifestant ea quæ continentur virtualiter, et deduci possunt ex revelatis per fidem.

COROLLARIA EX DICTIS.

13. Ex quibus *colligitur primo*, contra Vazquez, non esse negandam distinctionem illam rationis *quæ*, et *sub qua*, quam ponit Cajetanus, et communiter auctores. Constat enim varias et diversas res posse ab unica potentia vel habitu attingi, sicut a visu tam diversa visibilia attinguntur, a physicâ vel metaphysicâ tam diversa objecta ; ergo oportet quod in illis omnibus concurrat aliqua ratio quæ diversitatem illam ad unitatem reducat, secundum quam determinato modo et distincto attingantur res ab una potentia vel cognitione, quam ab alia : neque enim una potentia, v. g. visus, eo modo cognoscit quo alia, v. g. auditus ; et ea quæ attingit visus, sub eodem modo visibilitatis attingit ; aliquid ergo respicit in omnibus objectis, ratione cujus illa unico et determinato modo attingit distincto ab aliis ; unitas enim vel distinctio potentiæ proportionem debet habere cum objecto circa quod versatur et operatur, quia specificè et essentialiter dependet ab illo. Oportet ergo assignari in objecto, habente tantam diversitatem, aliquam rationem per quam unitatem aliquam habeat secundum proportionem ad talem potentiam ; et illa formalis ratio si attingitur a potentia tamquam res attacta, dicitur ratio formalis *quæ*. Sed tamen, quia solent plures formalitates concurrere in aliquo objecto, ut proportionando potentiæ, illa formalitas quæ est ultima et determinativa ceterarum, dicitur ratio formalis *sub qua* : quia sub ipsa reliquæ ponuntur, et ab ipsa ultimate et magis determinate sumitur unitas vel distinctio ; sicut in visu omnes colores habent diversam speciem, et tamen omnes attingit visus unico modo et sub unica ratione : et sic oportet reducere unitatem ejus ad aliquam formalem rationem ultimate determinativam etiam illius formalis rationis quæ attingitur, nempe coloris : et hæc est lux. Et similiter physica attingit res ut mobiles ; et tamen sub ipsa mobilitate plura genera et species continentur ; et idem est in metaphysica et aliis scientiis ; ergo oportet assignare aliquam rationem quæ ultimate determinet, et ad unitatem reducat omnem istam diversitatem : et hæc est ratio *sub qua*.

hic, disp. 7,
c. 3

14. *Secundo, colligitur* quod esse scibile, seu cognoscibile, dupliciter sumi potest : uno modo denominative, alio modo radicaliter seu objective. — Denominative : est quædam extrinseca denominatio orta ex scientiâ vel potentiâ cognoscitivâ; sicut enim ex ipsa cognitione in actu secundo oritur denominatio cogniti vel visi in objecto, quæ nihil reale et intrinsecum ponit in illo, sed solum denominationem extrinsecam : ita ex ipsa scientia vel potentia cognoscitiva, quæ sunt cognitio in actu primo, resultat denominatio scibilis vel cognoscibilis denominatione extrinsecâ; unde talis denominatio supponit scientiam vel potentiam, non constituit : siquidem oritur ab illa. — Radicaliter autem, seu objective, dicitur aliquid visibile vel cognoscibile, ex ipsa intrinseca entitate quam habet, vel ad cuius instar se habet : ratione cuius fundat aliquam majorem proportionem ad istam potentiam quam ad illam, ad istam scientiam quam ad aliam; et hoc modo scibile vel cognoscibile objectivum præcedit scientiam vel potentiam, tamquam præbens specificativum illius a quo potentia vel cognitio specificatur; sicque potius dicit potentia ordinem et habitudinem ad objectum, quam e converso, ut docet Philosophus (v *Metaph.* cap. 15). Unde, qui dicunt rationem formalem in scientiis esse solum ipsam scibilitatem, si intelligant de scibilitate denominativa, falso dicunt : quia talis denominatio extrinseca, cum resultet ex ipsa potentia vel scientia jam constituta, non potest illam primo et per se constituere seu specificare : sed supponere¹ constitutam. Et in hoc recte currit ratio Vazquez, quia committeretur circulus si specificatio scientiæ sumeretur a scibili ut a ratione formali, et rursus denominatio scibilis resultaret ab ipsa scientia. Si vero scibile vel cognoscibile sumatur radicaliter seu objective, sic non supponit ipsam scientiam, tamquam denominatio extrinseca ab illâ desumpta : sed antecedit ipsam scientiam, tamquam objectum proportionatum et coaptatum isti cognitioni potius quam illi; et cum cognitio essentialiter tendat ad objectum sibi proprium et proportionatum, non repugnat quod ista proportio et ratio objectiva præcedat ipsam cognitionem seu potentiam, tamquam proprium et per se specificativum illius. Et respectu hujus non committitur circulus, quia non desumitur ista proportio seu scibilitas objectiva ab ipsa potentia vel scientia, sicut

denominatio illa extrinseca cogniti vel cognoscibilis. Et in hoc deficit sententia Patris Vazquez, non distinguendo scibile objectivum et denominativum, et absolute negando non² desumi a scibili rationem formalem scientiæ. Nec sufficienter potest sumi unitas et specificatio scientiæ per ordinem ad unum objectum vel subjectum principale de quo tractat (ut ostendimus quæst. 27 *Logicæ*) : tum quia contingit ad unum objectum seu subjectum principale plures et diversas scientias concurrere, ut de homine et de Deo, tamquam de principali, agit metaphysica et theologia, de terra astrologia et physica : restat ergo præter unitatem objecti principalis assignare rationes formales distinctivas inter ista; tum etiam quia contingit objectum principale alicujus, esse aliquid genericum : restat ergo assignare unde sumat specificam unitatem in ratione scibilis.

15. *Colligitur tertio*, quod ratio *sub qua* specificans specificatione formali et objectivâ, ex parte objecti accipi debet, non ex parte alicujus luminis intrinsece inventi in ipso habitu scientiæ. Quod est contra sententiam Magistri Bañez (ubi supra). Ratio est : quia lumen intrinsecum alicujus scientiæ est lumen specificatum, non autem formale specificativum : siquidem hoc lumen cum sit lumen habitus, debet desumi per ordinem ad objectum; constat enim omnem actum et potentiam, et similiter habitum, specificari ab objecto, quia essentialiter dependet ab illo : ut cum D. Thoma (I P. q. 77, a. 3) communiter docent auctores, et nos probavimus (lib. I *de Anima*, q. 2*). Sed non specificatur illud lumen habitus ab objecto materialiter sumpto, cum circa idem objectum materiale contingat plures scientias versari; ergo sumitur ab objecto formali. Ergo præter lumen illud intrinsecum oportet assignare aliquid ultimate specificativum ex parte objecti : et illud vocamus rationem formalem *sub qua* specificantem ex parte objecti, id est, ratio *sub qua* proportionatur objectum ultimate potentiæ; illud autem lumen intrinsecum habitui est ratio formalis specificata. Unde oportet distinguere duplicem hanc rationem *sub qua*, unam specificativam ex parte objecti, aliam specificatam ex parte habitûs. Et quidem ex parte habitûs datur aliqua tendentia *sub qua* agit et fertur in objectum, tamquam formalis ratio intrinseca habitui.

¹ Omnes : *sed supponere* || Intellige : *sed debet supponere*.

² Omnes : *negando non desumi* || Intellige : *negando desumi* :

particula negans abundat; de quo in Præfatione nostra disse-
ruimus.

text. 20 (Bek-
ker 1021 a 29
sqq.)

hic, disp. 7,
c. 3

Logicæ II P.
q. 27, art
concl. I
Reiser, t
p. 820-1)

cf. supr.
p. 376, n.

* art. 3

Sed quia ista intrinseca ratio habitûs dependet ab extrinseca objecti, oportet etiam ex parte objecti ponere rationem formalem, quæ objective proportionetur isti rationi formali habitûs : et hæc est ratio formalis *sub qua* objectiva. — Nec potest dici, quod hæc ratio formalis ex parte objecti non est nisi denominatio aliqua proveniens ex ipso actu intellectûs : sicut ex abstractione quæ est actus intellectûs, provenit objectum esse abstractum, et ex revelatione quæ etiam est actus intellectûs, redditur objectum revelatum formaliter vel virtualiter. Sed quod attinet ad revelationem, statim dicemus quid ponat vel præsupponat ex parte objecti ad specificandum actum. Quod vero attinet ad abstractionem, dicimus quod licet esse abstractum solum dicat denominationem extrinsecam in objecto, tamen non est hoc id quod specificat objective, sed esse radicaliter abstractum, seu immateriale : quod non est aliud quam fundare ex se proportionem, ut aliquid possit tali vel tam abstracto lumine attingi, secundum diversam immaterialitatem et abstrahibilitatem potius quam abstractionem. Quare numquam ipse actus intellectûs, vel aliquid illi intrinsecum, potest esse prima radix specificandi : quia quidquid in actu vel habitu est, specificatum est. Unde etiam ens rationis, cujus totum esse quasi effective resultat ab intellectu considerante, tamen ut objectum est, debet respectu ipsius actûs intellectûs quem specificat, præsupponi fundamentaliter in aliquo ente reali, in quo virtualiter continetur, seu ad cuius instar concipitur : licet formaliter ab intellectu procedat, seu formetur. Unde ens rationis nullum fundamentum habens non potest specificare, aut terminare scientiam, ut diximus in *Logica* (q. 1, art. 2*, ad 1).

16. *Colligitur quarto*, recte assignari pro ratione formali specificativa scientiarum diversam abstrahibilitatem objecti, et diversitatem medii; et utrumque recte componitur, ut late ostendimus in *Logica* (q. 27, art. 1); concurrunt enim diversa abstrahibilitas ad specificandum, quatenus redditur objectum diverso modo spirituale et intelligibile ex diversa immaterialitate seu abstrahibilitate materiæ : et ita ex diversa hac abstractione sumit Div. Thomas diversitatem scientiarum (in prologo libri *de Sensu et Sensato*, et in opusculo LXX*). Sed quia in scientiis objectum non attingitur nisi ut deductum ex aliquo

medio, seu in virtute principiorum, oportet quod ista abstractio seu immaterialitas prius relucent in mediis, seu principiis : et ita ex diversitate mediorum, prout diversimode illuminant, sumitur diversa ratio formalis scientiæ, ut D. Thomas docet (II-II q. 1, a. 1; et q. 9, a. 2 ad 3). Et quia definitio subjecti solet assumi ut principium ad demonstrandum passiones, ideo etiam ex diversa definitione, seu diverso modo definiendi, sumitur diversitas scientiarum a D. Thoma (in VI *Metaph.* lect. ultima*). Revelatio autem divina cum descendat ex participatione luminis divini quod habet summam immaterialitatem, ideo in hac ratione formali revelationis etiam attenditur ratio immaterialitatis : non accepta per abstractionem a sensibilibus, sed ex diversa participatione luminis divini secundum quam fiunt diversæ revelationes. Et quia theologia quantum est de se petit inniti revelationi luminis gloriæ, quod est unicum, et interim utitur lumine fidei quod etiam unicum est : ideo theologia, quæ respicit virtualiter revelata, seu deducta ex revelatis, unica scientia est secundum speciem.

17. Quomodo autem revelatio ista specificet realem scientiam, cum nihil reale ponat in objecto revelato nisi tantum denominationem extrinsecam revelati? — Respondetur fidem et theologiam respicere pro ratione formali revelationem ipsam, ut tenet se ex parte Dei qui active revelat : sic enim est aliquid infallibile et increatum, et aliquid reale. Ex ista autem revelatione duo resultant extra Deum. Primum in objecto, scilicet esse dictum seu revelatum a Deo : et hoc est extrinseca denominatio. Secundum est revelatio passiva ex parte nostri, id est, illuminatio aliqua actualis qua nobis manifestantur talia objecta, vel etiam infusio luminis habitualis. Et illa illuminatio fit in nobis per aliquem actum, quo ex speciali Dei auxilio veritatem aliquam attingimus. Ratio ergo formalis, sive in fide sive in theologia, non sumitur ex illuminatione passiva in nobis : quia hæc est effectus Dei ad extra, et proprie non est revelatio seu locutio Dei, sed auditio nostra, juxta illud (Psal. LXXXIV, 9) : *Audiam quid loquatur Dominus Deus*; neque sumitur ex denominatione illa extrinseca in objecto, sed ex ipsa revelatione seu locutione Dei a quo¹ talis denominatio in objecto et talis illuminatio in nostro intellectu descendit; ita quod revelatio, ut se tenens ex parte Dei, præbet rationem formalem; ut autem

* reverà : *Logica* II Pars, q. 1, a. 3, ad 1 (ed. Reiser, t. 1, p. 265-6)

ed. Reiser, t. 1, p. 318, sqq.

* in *Boët. de Trin.* lect. 2, q. 5, a. 1

¹ Omnes : a quo || Forte melius legeretur : a qua.

* rectius
lect. 1, cir
medium

denominative in objecto, vel illuminative in intellectu nostro, non dicit rationem formalem sed connotationem ejus. Atque ita hæc ratio formalis non desumitur ab aliquo intrinseco objecti sed ab aliquo extrinseco, reali tamen et tenente se ex parte Dei : licet ut extrinsece attingit objectum, nihil reale in illo ponat, et sic solum dicit quamdam connotationem.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

18. CONTRA PRIMAM CONCLUSIONEM ARGUITUR : nam syllogismi quibus proceditur ex una de fide et altera naturali, non conveniunt in eadem ratione formali cum his qui procedunt ex utraque de fide; ergo neque assensus illi sunt ejusdem speciei; ergo neque theologia quæ omnes illos complectitur, est unius speciei. — Prima consequentia probatur : quia diversificatâ ratione formali specificâ, variatur specificatum per illa; sed assensus illi non specificantur nisi per formalem rationem theologiæ; ergo si formalis ratio illorum specifica est diversa, etiam assensus. — Antecedens vero probatur : quia illa præmissa naturalis vere et proprie influit ut principium in conclusionem, et influit ratione luminis naturalis quod solum habet; ergo præbet distinctum lumen a præmissa de fide, quæ luminis supernaturalis est. — *Nec potest dici*, quod non se habet ut principium, sed solum ut condicio ad inferendum conclusionem. *Contra enim est* : tum quia in discursu syllogistico duæ præmissæ per se concurrunt per modum principii, ergo non concurrunt una solum; tum etiam quia non est major ratio cur ista præmissa sit condicio, quam altera : et de qualibet poterit quis id fingere, et sic non erit unde determinetur motivum formale et ratio assentiendi.

19. *Confirmatur* : quia diversa certitudo essentialiter est in propositione deducta ex altera naturali et altera de fide, vel ex duabus de fide; ergo etiam invenitur diversa ratio specificativa. — Consequentia patet : quia certitudo desumitur ex formali ratione et lumine; ergo ubi est distincta certitudo essentialiter, etiam erit distincta ratio formalis. — Antecedens probatur : quia certitudo fidei est major essentialiter omni certitudine naturali; ergo etiam connexio duplicis præmissæ de fide majorem certitudinem efficiet, quam connexio cum una naturali quæ est inferioris certitudinis. — Ut omittam diversas partes theologiæ diversas immaterialitates habere : ut

quæ tractat de creaturis vel de Deo, quæ tractat de moralibus vel de speculativis; et sic accipiunt principia mutuata a diversis scientiis v. g. a metaphysica vel ethica. Hoc enim materialiter se habet in theologia, et pertinet quasi ad corpus organicum ejus; omnia enim ista reducuntur ad unum lumen formale revelationis virtualis, sub quo omnia ista quasi sub una anima formantur.

20. RESPONDETUR concedendo concurrere duas præmissas in syllogismo theologico ut veras præmissas : sed tamen oportere quod ex utraque fiat unicum medium, sicut in aliis omnibus syllogismis : siquidem conclusio illata ex duabus præmissis unico judicio et assensu attingitur, et consequenter unico lumine seu medio ex utraque præmissa conflato. Non potest autem præmissa naturalis componere unum medium cum præmissa de fide, nisi per hoc quod illi subordinatur et ab ea corrigitur et judicatur, utpote a superiori a qua præmissa naturalis certitudinem suam regulat : et præmissa, sic conjuncta præmissæ superiori de fide, influit simul cum ipsa : non diversâ ratione nec diverso lumine, sed in quantum de ejus lumine et certitudine participat; et sic constituitur una ratio formalis, quæ dicit virtuales revelationem et mediatam, sub qua eodem modo influit præmissa de fide, et naturalis ut elevata ab illa. Ceterum, considerando in præmissa naturali id quod præcise habet de naturali lumine, sic non præbet rationem formalem influentem, sed ministrantem præmissæ de fide : ut veritatem illam connexam, et virtualiter inclusam in præmissa de fide, conformius et accommodatius ad nostrum modum manifestet : quia melius juxta ea quæ naturalia sunt, manuducimur ad ea quæ in supernaturalibus continentur. Et hæc est ratio cur præmissa naturalis se habet ut condicio vel applicatio, non vero præmissa de fide; quia hæc semper se habet ut superior, et alia ut sibi ministrans, et manuducens nos ad ea quæ ex fide debent deduci : licet ut elevata ab ipsa fide, concurrat sicut illa sub eodem medio.

21. *Ad confirmationem respondetur* : illam certitudinem non esse essentialiter diversam, sed solum accidentaliter. Unde omnes propositiones theologiæ per evidentem consequentiam deductæ (etiamsi altera sit nota lumine naturali) si negentur, eâdem censurâ qualificantur : scilicet, ut erroneæ et secundum præsumptionem hæreticæ. Quare licet præmissa naturalis luminis sit

minus certa quam præmissa de fide, in ratione tamen virtualis revelatæ eodem modo adunatur duplex præmissa de fide, vel altera naturaliter evidens : quia etiam duplex præmissa de fide, mediante consequentia naturali, deducit veritatem virtualiter revelatam. Unde licet utraque præmissa sit de fide, connexio tamen utriusque ad inferendum, solum naturaliter cognoscitur : licet participative certitudinem habeat virtualis revelationis. Unde univoce convenit cum connexionem quæ est inter præmissam de fide et de lumine naturali : præsertim cum hæc etiam participet de certitudine fidei, in quantum approbata et correctæ ab ea, et sic constituit unicam rationem formalem cum præmissa de fide.

22. *Et si instes* : quomodo potest præmissa naturalis participare certitudinem fidei, ita ut ex illa et ex præmissa de fide fiat unum motivum? *Respondetur*, quod illa præmissa in se intrinsece considerata, ut particularis propositio est, non participat certitudinem intrinsece (sic enim mutaretur et corrumpetur) : sed extrinsece, per approbationem et correctionem seu iudicium de ipsa factum a fide, quatenus non reprobatur illam ut repugnantem sibi, sed assumit ut veram. Ceterum ex ista præmissa sic assumpta et iudicata a præmissa de fide, resultat connexio et adunatio præmissarum ad inferendum aliquid virtualiter revelatum : et sic dicuntur convenire in una ratione formali revelationis virtualis, ut inferentis : respectu cuius naturalis præmissa, secundum id quod habet de naturali certitudine, ministerialiter et applicative tantum se habet; secundum vero id quod participat ex approbatione illa extrinseca seu conjunctione ad præmissam de fide, sub eodem lumine virtualis revelationis, in illa connexionem et adunationem præmissarum participative invento, concurrunt.

23. SECUNDO, ARGUITUR CONTRA SECUNDAM CONCLUSIONEM argumento Patris Vazquez : quia secundum Aristotelem (v *Metaph.* c. 15) nec scientia definitur per scibile, neque scibile per scientiam : sic enim fieret inutilis circulus, et idem definiretur per se ipsum; ergo non potest specificari scientia ab objecto scibili (sicut nos illam specificamus), quia rursus ipsa ratio et unitas scibilitatis objecti debet sumi ex unitate scientiæ a qua scibilis denominatur. — *Confirmatur* : quia objectum est prius scientiâ, cum dicamus esse specificativum illius : et rursus, in ratione scibilis, est posterius ipsâ scientiâ (unitas

enim objecti scibilis in ratione scibilis non est unitas rei sed rationis); ergo est aliquid posterius ipsâ ratione et actu intellectûs; ergo non poterit specificare ipsum secundum unitatem et rationem formalem scibilis, sed secundum unitatem entitativam.

24. RESPONDETUR : hoc argumentum æquivocare de scibili sumpto denominative, vel objective seu fundamentaliter (quod alii dicunt radicaliter). Neque hoc est idem quod scibile materialiter sumptum et entitative : sic enim objecta alicujus scientiæ vel potentiæ possunt esse valde diversa specificè in esse rei, sicut omnes colores quos attingit visus, et omnia corpora quæ attingit philosophia; sed scibile radicaliter seu objective est illa proportio quam quodlibet ex istis objectis fundat, ut possit attingi a tali potentia vel a tali scientia : quæ proportio etabilitas potest esse ejusdem speciei, licet ipsa objecta diversæ speciei sint in esse rei; et hoc dicitur scibile radicaliter, non quia talis proportio formalis non inveniatur in ipsis objectis : sed quia objecta sic proportionata sunt fundamentum et radix ipsius scientiæ, quæ tendit ad talia objecta ut ad specificativum sibi proportionatum. Scibile autem denominative, semper est posterius ipsâ scientiâ tamquam denominatio extrinseca ab ea proveniens, sicut a visione seu cognitione in actu secundo provenit denominatio cogniti vel visi; scibile autem objective seu radicaliter, quod formaliter est proportionatum potentiæ vel scientiæ, præcedit ipsam sicut specificans suum specificatum. Aristoteles ergo docet non definiri scibile per scientiam vel e converso, sumpto scibili denominative, non specificative seu objective.

25. *Ad confirmationem respondetur* juxta dicta, quod scibile specificative est prius scientiâ, denominative autem posterius. Unitas autem scibilis, quæ præcedit et specificat scientiam, non est aliqua unitas realiter inventa in omnibus objectis : sed est convenientia et similitudo ejusdem habitatis seu proportionis inventæ in illis omnibus objectis ad immutandum eodem modo talem potentiam et talem scientiam; ita tamen quod unumquodque objectum habet suam proportionem et vim immutandi, licet ejusdem speciei et rationis in quantum sunt objecta talis scientiæ, siquidem in ea conveniunt.

26. TERTIO, ARGUITUR CONTRA SECUNDAM CONCLUSIONEM, ad probandum quod virtualis revelatio non potest esse ratio formalis *sub qua speci-*

ficans, et ex parte objecti se tenens : sed ex parte habitûs, seu scientiæ. Nam revelatio virtualis nihil ponit in objecto, nisi extrinsecam denominationem revelati aut revelabilis : ergo non est ratio connexionis necessariæ et intrinsecæ cum aliqua passione et proprietate ejus : ergo nec illuminationis illativæ. Prima consequentia est certa : quia extrinseca denominatio est aliquid omnino contingens et accidentale in objecto, aut aliquid rationis (sicut esse visum aut cognitum); ergo non potest fundare in illo aliquam connexionem necessariam et intrinsecam. Secunda vero consequentia patet : quia illuminatio illativa conclusionis fundatur in connexionione necessaria unius cum alio, scilicet inferentis et illati : quia tota certitudo nititur in ista connexionione; ergo remotâ illâ non datur talis illuminatio. Et idem argumentum fit de abstractione, quæ in objecto non ponit nisi denominationem extrinsecam abstracti; ex tali autem denominatione nulla connexio necessaria fundatur.

27. *Confirmatur* : quia ratio *sub qua* se habet ut lumen manifestans objectum potentiæ, siquidem mediante illâ objectum redditur manifestatum : *omne autem quod manifestatur, lumen est* : et lumen intellectûs intra ipsum intellectum esse debet, et non extra; ergo debet esse aliquis habitus, seu qualitas illius. Et similiter abstractio reddens rem aliquam immaterialem et abstractam, est aliquis actus intellectûs; ergo ratio formalis *sub qua* solum invenitur intra intellectum, non ex parte objecti. Immo aliquando diversa abstractio non sufficit diversificare lumen intellectûs : ut patet in habitu principiorum qui est unus pro omnibus principiis scientiarum, et tamen principia sunt diversa et diversæ abstractionis. E contra vero intra eandem abstractionem inveniuntur diversæ scientiæ, ut perspectiva et geometria in abstractione mathematica. — *Confirmatur secundo* : quia revelatio divina, vel sumitur active ex parte Dei, vel passive ex parte nostra. Primo modo, non potest esse ratio formalis cognoscendi nisi ipsi Deo intra quem est, et indifferenter se habet ad omnes revelationes sive evidentes sive inevidentes quæ nobis fieri possunt. Si secundum, illa revelatio est actus nostri intellectûs, vel habitus : est enim effectus ab activa Dei revelatione impressus; sic enim *illuxit Deus in cordibus nostris ad illuminationem scientiæ claritatis Dei* (II ad Cor. IV, 6); ergo ratio *sub qua* non est aliquid in objecto, sed in intellectu.

28. *RESPONDETUR*, distinguendo primam consequentiam argumenti : « ergo revelatio non est ratio connexionis necessariæ, » *distinguo* : « connexionis necessariæ ortæ ex principiis intrinsecis objecti, » *concedo*; « ortæ ex testificatione extrinseca infallibili, » *nego*. Unde potest fundare illuminationem illativam fundatam in medio extrinseco habente infallibilitatem a Deo, non autem fundatam in principiis intrinsecis objecti. Et licet in objecto revelato non ponat illa revelatio nisi extrinsecam denominationem, quæ accidentaliter convenit objecto (et sic se habet ut effectus ad extra, in quo non fundatur ratio formalis fidei vel theologiæ) : tamen ex parte ipsius testificationis activæ a quo illa denominatio provenit, omnimodam habet infallibilitatem, licet extrinsecam ipsi objecto. De abstractione vero, dicimus quod illa non est ratio formalis si sumatur solum denominative, prout est denominatio ab actu abstrahente proveniens : sed sumpta radicaliter et objective, pro abstrahibilitate seu immaterialitate quam fundat objectum. Et licet in objecto corporeo non detur actu aliqua abstractio seu immaterialitas : datur tamen radicaliter, quatenus est intelligibile in potentia; redditur autem actu intelligibile et immateriale in ipsis speciebus intelligibilibus factis ab intellectu agente, vel infusis a Deo. Et istæ antecederent se habent ad ipsam scientiam; et secundum quod diversimode combinantur, reddunt objectum diversimode abstractum et immateriale.

29. *Ad primam confirmationem respondetur*, quod ratio formalis *sub qua* objectiva manifestat tamquam lumen objectivum, id est, objectum reddens proportionatum potentiæ vel scientiæ : et sic se habet ut ratio specificandi actum vel habitum. Habitus vero est lumen effective, seu per modum virtutis, influens in actus cognoscitivos : sicut aliud est lumen quod ex parte medii colores illuminat, aliud quod ex parte potentiæ visivæ influit in ipsam visionem. Unde ex eo quod ratio *sub qua* illuminat objective, non sequitur quod sit illuminatio efectiva, seu lumen ex parte potentiæ se tenens. — Quod vero additur de abstractione : respondetur quod in his quæ sunt per se nota ex terminis, sicut sunt prima principia, diversa abstractio non diversificat modum cognoscendi neque lumen, quia ex ipsis terminis sine alia illuminatione nota sunt. At vero conclusiones non sunt notæ ex ipsis terminis, et ita indigent ut lumine superaddito manifestentur; unde secundum quod medium mani-

festandi illas habet diversam immaterialitatem et intelligibilitatem, diversimode illas manifestat et intellectas reddit, et sic diversum lumen scibile causat.

30. *Ad secundam confirmationem respondetur* : revelationem, ut active se tenet ex parte Dei, esse rationem formalem testificantem et extrinsecam respectu fidei et theologiæ : sed tamen non sumitur revelatio pro ipsa cognitione Dei in se, sed ut loquente et manifestante nobis : quæ etiam est actio ex parte Dei se tenens; nam revelatio ex parte nostri non est locutio, sed auditio. Et ita testificatio divina habet duos effectus, unum ex parte nostri intellectûs cui imprimit lumen actuale vel habituale, et sic facit in nobis auditionem; alium ex parte objecti, quatenus reddit illud testificatum et revelatum denominatione extrinseca : isti tamen effectus non sunt formalis ratio scientiæ aut fidei, sed connotantur ab illa; solum autem est ratio formalis testificatio, ut tenens se ex parte Dei. Nec sumitur pro actione indifferenti ad omnes revelationes, sed ut actio determinate et proxime operans hanc revelationem potius quam illam : sic enim etiam ex parte Dei se tenet. Et sic dicitur Deus *illuxisse in cordibus nostris ad illuminationem scientiæ* : intelligitur enim hoc, tum de illuminatione effectiva, id est, infundente lumen fidei ad deducendum ex illa conclusiones scientiæ : tum de revelatione formali, quatenus ex objecto ut revelato sumitur specifica et formalis ratio cognoscendi in scientia theologiæ.

II Cor. IV, 6

31. Et hinc colliges quod medium cognoscendi seu probandi veritates in scientia theologica non

est ipsa revelatio virtualis, neque in aliis scientiis ipsa immaterialitas seu abstrahibilitas : sed medium probativum semper est aliqua veritas magis nota per quam manifestatur minus nota : quod medium se habet sicut principium magis notum ex quo diversificantur scientiæ, ut docet S. Thomas (I-II q. 54, a. 2 ad 2; et II-II q. 1, a. 1). Sed tamen forma seu ratio secundum quam ista veritas probativa, seu medium, pertinet ad talem scientiam, est illa immaterialitas (seu revelatio) ratione cujus redditur res diversimode intelligibilis aut scibilis; et ita ratio formalis in concreto alicujus scientiæ est medium probativum, ut subest tali formalitati seu immaterialitati; ratio vero formalis secundum se est ipsa immaterialitas seu abstrahibilitas secundum quam talis veritas constituitur tali modo intelligibilis, vel scibilis. Et medium ipsum debet esse res cognita : immaterialitas autem seu abstrahibilitas, ratio cognoscendi. Et ad ipsam rationem formalem reducuntur passionem, seu proprietates, quæ a tali scientia demonstrantur : ad ipsam quidem veritatem cognitam, seu ad subjectum talis veritatis tamquam ad rem cujus est illa proprietas : ad rationem vero formalem tamquam ad id sub quo illa proprietas attingitur et cognoscitur. Quæ autem attinguntur sub ratione revelati a Deo, unico modo attinguntur : quia revelatio illa est unius speciei, scilicet divina testificatio. Quæ autem lumine naturali attinguntur, sub diversis modis cognoscendi et intelligendi attingi possunt : quia per intrinseca principia attinguntur, quæ non sunt ejusdem intelligibilitatis et abstractionis in omnibus.

ARTICULUS VIII

Utrum theologia sit supernaturalis scientia, vel naturalis?

1. **R**ATIO DUBITANDI PRO PARTE AFFIRMATIVA, est : quia theologia versatur circa objecta supernaturalia modo supernaturali; ergo scientia supernaturalis est. — Patet consequentia : quia nihil amplius potest requiri ut aliqua scientia sit supernaturalis, cum ex objecto et modo tendendi ratio scientiæ desumatur. Antecedens vero probatur : quia objectum theologiæ est conclusio deducta ex principiis supernaturalibus, et ipsum in se supernatu-

rale est (sicut cum probatur Christo convenire aliquam perfectionem supernaturalem, vel quid simile); modus etiam tendendi supernaturalis est, scilicet revelatio virtualis ipsius fidei; ergo. — *Confirmatur* : quia ut aliquis actus sit supernaturalis, non requiritur quod omnes causæ ad eum concurrentes supernaturales sint : ut patet in actu contritionis et attritionis, qui elicitur ex auxilio divino et voluntate naturali; ergo similiter si una præmissa sit naturaliter cognita (aut

etiam bonitas consequentiæ), tamen si altera præmissa est supernaturalis, hoc sufficet ut ipsa conclusio supernaturaliter cognoscatur. — *Confirmatur secundo* : quia præmissa de fide vere influit in conclusionem per suum actum supernaturalem : immo etiam alteram præmissam naturalem elevat ad influendum per modum unius medii in conclusionem theologicam; ergo ex tali influxu et elevatione, aliqua supernaturalitas imprimatur in conclusione illata, seu assensu theologico : non enim potest supernaturalis influxus non habere aliquem effectum supernaturalem; ergo assensus theologicus non est mere naturalis. — *Denique*, in conclusionibus theologicis deductis ex duabus de fide, per evidentem consequentiam, constat quod sunt de fide per se secundo : ergo supernaturales per se secundo. Similiter, certitudo theologiæ superat omnem certitudinem scientiarum naturalium : ergo est supernaturalis.

2. In hac difficultate, Molina (super art. 2 hujus quæstionis, disp. 1 et 2, in fine) tenet theologiam esse habitum acquisitum et supernaturalem, licet ex una præmissa naturali per nostrum discursum generetur; et aliqui absolute etiam vocant theologiam *supernaturalem*, ut Canus (xii de Locis, c. 3, concl. 2); Zumel (hîc, art. 8, q. 4, notabili 2) : de quorum sensu statim dicitur. — *Oppositum autem communiter tenent auctores*, ut videri potest apud Navarrete (contr. 8); Arrubal (hîc, disp. 5, c. 4 et 6); Granados (disp. 5*), qui citat Vazquez (disp. 4, c. 8). Addit tamen Granados (ibidem, sect. 3) posse theologiam esse supernaturalem si ex utroque principio naturali procedat, et Deus impendat auxilium supernaturale sicut ad alias virtutes morales infusas. Alii dicunt dari theologiam supernaturalem non ex vi discursûs acquisitam, sed participando aliquo modo auctoritatem Dei circa conclusiones illatas : sicut prudentia infusa discursu quodam supernaturali versatur circa regulandas virtutes supernaturales; quem modum refert et refutat Arrubal (ubi † supra). Denique, alii agnoscunt dari theologiam per se infusam, sicut ponitur in Christo omnis scientia per se infusa (III P. q. 11).

3. **NIHILOMINUS ABSOLUTE DICENDUM EST** : theologiam nostris actibus acquisitam esse habitum ordinis naturalis; posse tamen dari theologiam infusam supernaturalem, quæ pertinet ad donum Spiritus Sancti secundum aliquam excellentiam gratis datam

quæ in illo invenitur. — Ita sumitur distinctio duplicis hujus theologiæ ex D. Thoma (hîc, a. 6 ad 3) qui simpliciter fatetur hanc nostram theologiam non esse ex infusione, sed per studium acquisitam; sapientiam autem infusam esse donum Spiritus Sancti. Et (II-II q. 45, a. 1 ad 2) : « Sapientia, inquit, quæ ponitur donum, differt ab ea quæ ponitur virtus intellectualis acquisita : nam illa acquiritur studio humano, hæc autem est desursum descendens. » Et (II-II q. 9, a. 1*) ponit quod donum Spiritus Sancti quod est scientia, non acquiritur discursu, sed est participatio quædam divinæ scientiæ; scientia autem quæ acquiritur studio nostro est scientia humana, et non scientia donum. Et (solutione ad 2) docet quod datur scientia supernaturalis, quæ est gratis data. Non ergo tribuit supernaturalitatem scientiæ theologiæ quæ non est donum. Videntur est etiam in I Sent. q. 1 prologi, a. 3, q. 2.

4. **RATIO HUIUS CONCLUSIONIS, ET FUNDAMENTUM QUOAD PRIMAM PARTEM** est duplex : alterum generale pro omnibus habitibus acquisitis, alterum speciale pro theologia. — *Primum fundamentum* in eo consistit, quia quicumque habitus si per se et ex genere suo est acquisitus, non potest esse supernaturalis; constat autem theologiam ex suo genere esse scientiam acquisitam labore nostro et studio; ergo supernaturalis habitus non est. — Minor constat : quia theologia nostra, nec est habitus per se infusus concomitans gratiam sanctificantem sicut aliæ virtutes : alias non maneret in peccatore; nec est concomitans solam fidem, sic enim omnis fidelis esset theologus : quod constat esse falsum. Neque est habitus infusus sicut gratia gratis data, cum constet acquiri nostris actibus et labore, non autem gratis a Deo datur. Nam per exercitium et laborem studii theologici, aliquid acquiritur in nostro intellectu, quo percipimus et cognoscimus aliquid quod antea non cognoscebamus. Illud autem quod acquiritur non est aliud quam habitus scientificus, quia inclinatur ad demonstrandum et assentiendum per discursum : ergo datur theologia ex genere suo acquisita. — Major autem etiam constat : quia habitus ex genere suo acquisitus petit causas naturaliter acquirentes; ens autem supernaturale per se petit causas supernaturales et excedentes nostram acquisitionem; ergo habitus ex genere suo acquisitus repugnat quod entitative et ex genere suo sit supernaturalis. — *Nec obstat*, quod theologia nostra ex concursu fidei, quæ est causa superna-

* ad 1^m

* sect. I

† disp. 5, c. 4-7, præsertim nn. 20, 26

turalis, generetur : quod sufficit ut entitative sit supernaturalis, sicut actus virtutum supernaturalium supernaturales sunt quia fiunt ab habitu supernaturali. *Hoc inquam non obstat* : quia concursus fidei est ad assentiendum objecto credito ; ad deducendas autem conclusiones concurrunt mediante connexionem et consequentiam, naturali modo facta : et ita hæc non potest producere habitum supernaturalem. Immo actus ipsi eliciti a virtutibus supernaturalibus non producunt vel augment ipsos habitus, quia isti solum infunduntur, non a nobis generantur ; ergo concursus fidei non sufficit ad generandum habitum supernaturalem theologiæ.

5. Cur autem non possit per actus supernaturales habitus supernaturalis acquiri (licet actus supernaturales possint a nobis elici), sed necessario debeat habitus infundi : tractari solet in I-II q. 110 ; et II-II q. 23. Breviter ratio hujus desumitur ex differentia inter actus et habitus supernaturales : quia habitus datur per modum actûs primi, et consequenter ut immediata participatio Dei qui est ens supernaturale per essentiam ; actus autem sunt participationes mediatae, quia sunt vitales vitalitate creatâ, et consequenter elicentiâ creatâ : et sic [actus] ex ipsa ratione supernaturali, ut tali, scilicet quia vitalis est, petit procedere ab ipso homine, seu intelligente creato. Habitus vero non est ens supernaturale vitale a vita hominis procedens, sed datur per modum actûs primi : et sic cum in se sit ens supernaturale non per modum actûs secundi se habens, est immediata participatio Dei : et sic oportet quod immediate a Deo derivetur, alias immediata participatio supernaturalis non erit ; et sic idem est esse ens supernaturale non vitale seu per modum actûs primi, et esse per se infusum et immediate a Deo procedens.

6. *Secundum fundamentum* est : quia bene stat aliquas veritates esse notas supernaturaliter quoad assensum, et tamen per discursum naturalem penetrari ea quæ dependentiam et connexionem habent cum tali veritate ; et tunc talis inquisitio erit ordinis naturalis, et ipse discursus et ordo consequentiarum fundatur in principiis naturalibus. Unde apud theologum bonitas consequentiæ eisdem principiis regulatur, sicut aliæ consequentiæ logicales. Itaque res supernaturales ad modum metaphysicæ scientiæ tractatæ, et discursu naturali collatæ, generant habitum scientificum naturalis ordinis, quia modus sciendi

et discurrendi naturalis est. Et licet intellectus ex ipsa certitudine fidei roboretur et perficiatur ad assentiendum certius veritatibus illatis, quia ex ipsâ connexionem veritatum et dependentiâ potest certitudo unius ex alia magis certificari : tamen ista certitudo fidei ex parte veritatum cognitarum non elevat intellectum ad modum ipsum deducendi consequentias, et inferendum conclusiones altiori modo quam ratio naturalis attingit : sed talis modus discurrendi et inferendi relinquitur naturali discursui ; tantum enim deducitur per discursum circa veritates fidei, quantum quis habet de ingenio et de naturali perfectione in discurrendo : et sic tota ratio acquirendi scientificum habitum est ex viribus naturalibus circa res supernaturales ; et ita habitus ille theologicus simpliciter naturalis est. Et licet in actibus elicendis, sive voluntatis sive intellectûs, non requiratur quod omnia principia sint supernaturalia, sed sufficit quod auxilium vel habitus elevans potentiam supernaturalis sit, quia sic elevat potentiam ad agendum supernaturaliter : tamen ad producendum seu acquirendum habitum non attenditur ad objecta supernaturalia, quæ se habent ut principia assentiendi conclusionibus circa quas versatur talis habitus ; sed attenditur ad virtutem productivam entitative et physice : quæ si naturalis est, et ex vi naturalis modi procedendi penetrat vel discurret circa veritates, non potest generare supernaturalem habitum, sed naturalem. Et hæc est ratio quare certitudo fidei corrigit et elevat veritatem præmissæ naturalis ad inferendum conclusionem, non tamen elevat virtutem naturalem productivam habitûs ad efficiendum illum : quia efficere habitum, solum pertinet ad Deum.

7. *Unde solvuntur duæ instantiæ* quæ contra hoc possent fieri. — *Prima* : quia fides concurrat ad assensum theologicum saltem radicaliter, et ut causa universalis ad particularem effectum et secundarium : ergo sicut assensus theologicus participat virtualiter certitudinem supernaturalem, ita habitus ipse, et specificativum ejus, supernaturalitatem a fide mutuari possunt. — *Secunda est* : quia theologia per se infusa qualis fuit in Christo, non amplius habet quam derivari ex principiis supernaturalibus per discursum, sicut nostra theologia derivatur ex fide ; ergo sicut illa est supernaturalis, ita et nostra. Et ratio esse videtur, quia bonitas et artificium consequentiæ non pertinet ad rationem formalem, sed ad modum condicionemque illius ; ergo ex eo

quod connexio consequentiæ sit naturalis ordinis, non sequitur quod ipsa ratio formalis specificativa naturalis sit.

8. *Ad primum respondetur* : bene posse fidem quatenus præbet principia theologiæ, communicare illi certitudinem, non tamen ipsi habitui supernaturalitatem. Et disparitas sumitur ex dictis : quia principia præbent certitudinem conclusionibus propter resolutionem et dependentiam veritatis conclusionum a veritatibus principiorum; ipsum enim resolvi hanc veritatem in illam et dependere ab illa, reddit veritatem resolutam firmiorem. Ceterum supernaturalis entitas habitus non solum desumitur ex ipso objecto et certitudine supernaturali quomodocumque considerata, sed etiam ex ipso modo procedendi a Deo qui est auctor et prima radix totius entis supernaturalis. Unde cum theologia negotietur circa objecta supernaturalia ex vi naturalis discursus, et secundum virtutem ingenii et intellectus, et laborem atque industriam propriam : ille habitus non derivatur a Deo per infusionem tamquam ens supernaturale, sed ut ens naturale acquiritur.

9. *Ad secundum dicitur*, quod in Christo Domino fuit duplex theologia. Altera acquisita sicut nostra (vel si fuit Christo infusa, fuit infusa per accidens : quod non variat intrinsecam naturam scientiæ) et hæc theologia non processit ex fide, sed ex visione clara Dei; sed tamen lumen gloriæ ita influebat in acquisitionem illius scientiæ, sicut in nobis fides, scilicet præbendo principia : non tamen supernaturali vi habitum producendo, sed ex studio et industria naturalis ingenii conclusiones deducendo. Alia theologia fuit, quæ pertinet ad donum sapientiæ vel scientiæ, et hæc non est per se discursiva, nec fundatur in lumine illativo, sed in quadam experientia interna divinorum : donum quidem sapientiæ per experientiam Dei ut amati, seu per amorem uniti : donum vero scientiæ per experientiam divinorum effectuum, ut revelationum, inspirationum, etc., ut statim dicemus in secunda parte conclusionis. Unde cum hæc non acquiratur in vi discursus, supernaturaliter infunditur a Deo. — Ad id vero quod dicitur de bonitate consequentiæ, respondetur quod licet bonitas consequentiæ secundum se non sit ratio formalis scientiæ, sed

condicio : tamen lumen scientificum quod non nisi per talem condicionem acquiri potest, naturalis ordinis est; sicut licet obscuritas non sit ratio formalis fidei, tamen lumen quod talem obscuritatem petit et fundat, fides est.

10. SECUNDA PARS CONCLUSIONIS de theologia per se infusa quæ est donum Spiritus Sancti, sumitur ex D. Thoma qui distinguit (in hoc art. 6) sapientiam theologiæ ab ea quæ est donum. Datur enim donum Spiritus Sancti quod est sapientia, et donum quod est scientia : et hæc agunt de divinis, sed longe diversâ ratione, quam nostra theologia. Et donum sapientiæ aliquando ita perficitur, quod etiam pertinet ad aliquam gratiam gratis datam. Unde dicit D. Thomas (II-II q. 45, a. 5), quod « quidam altiori gradu perficiunt ¹ sapientiæ donum : et quantum ad contemplationem divinorum, in quantum scilicet altiora quædam mysteria cognoscunt, et aliis manifestare possunt : et etiam quantum ad directionem humanorum actuum secundum regulas divinas, in quantum possunt secundum eas non solum se ipsos sed etiam alios ordinare. Et iste gradus sapientiæ non est communis omnibus habentibus gratiam sanctificantem, sed magis pertinet ad gratias gratis datas, quas Spiritus Sanctus distribuit prout vult secundum illud (I ad Cor. XII, 8) : *Alii datur per Spiritum sermo sapientiæ, alii sermo scientiæ.* » Idem fere docet de dono scientiæ (ibidem, q. 9, a. 1 ad 2). Ergo secundum D. Thomam ad ipsum donum sapientiæ secundum gradum quemdam perfectiorem, pertinet mysteria penetrare, et alios ordinare : ad donum vero scientiæ pertinet contradictores arguere, et fidem manifestare, et alios ad fidem inducere. Hæc autem omnia sunt munera theologica; datur ² ergo scientia et sapientia, infusæ per modum doni, quæ munera theologiæ exsequantur, saltem quando perfectum illum gradum habent, qui pertinet ad gratiam gratis datam : nam ista dona sine tali gradu non pertinent ad instruendum alios, sed tantum ad instructionem propriam; et sic licet omnibus justis detur donum scientiæ et sapientiæ, non tamen omnes sunt theologi : quia non datur omnibus secundum illum excellentem gradum, secundum quem alios possunt instruere, sed solum ³ se dirigere.

¹ Ita omnes, cum editione *piana* Summæ theologiæ || Editio *leonina* ceteræque edd. habent : *percipiunt* : utique facilius.

² Ita omnes || Melius legeretur : *dantur*, cum postea omnia

ponantur in plurali numero : *infusæ... quæ... exsequantur.*

³ Intellige : *sed solum tali gradu ut possint se dirigere.*

11. Quomodo vero distinguatur ratio formalis nostræ theologiæ a ratione formali istorum donorum, non potest hic latius explicari. Sed breviter dico, donum scientiæ non inniti discursu sed simplici cognitione : in quo assimilatur divini scientiæ, ut docet D. Thomas (quæst. 9 cit. a. 1 ad 1). Unde ex hac parte longe differt a theologia, quæ virtute studii acquiritur per consequentiam et connexionem præmissarum. Secundo, ratio formalis theologiæ acquisitæ est virtualiter revelatum, quatenus attingitur ex vi connexionis et consequentiæ deductæ ex aliqua veritate formaliter revelata. Ratio autem formalis doni sapientiæ, aut scientiæ, est aliqua experientia interna divinatorum, quatenus aliquis patitur divina : vel per amorem et unionem ad Deum, gustando et videndo, id est, experiendo et iudicando de his quæ Dei sunt : et hoc pertinet ad donum sapientiæ, ut docet D. Thomas (II-II q. 45, a. 1); vel etiam aliquem effectum Dei internum experiendo v. g. revelationem aliquam vel inspirationem, per quos effectus iudicat de divinis : et sic est donum scientiæ, ut docet Thomas (II-II q. 9, a. 1), quod scilicet ex spiritu et impulsu interiori Spiritûs Sancti iudicat de aliquo quatenus mens experiendo aliquos effectus supernaturales in se illuminatur, ut iudicet juxta experientiam ipsorum magis et minus, juxta quod magis vel minus perfecte experitur. Et ita istæ rationes formales valde differunt, scilicet illuminatio ut experimentalis circa divina, vel ut illativa ex propriâ industriâ et studio : et hoc secundum pertinet ad theologiam acquisitam, primum vero ad donum Spiritûs Sancti; sicut differt iudicium illius qui iudicat de castitate per experientiam, ab illo qui iudicat per philosophiam moralem.

12. AD ARGUMENTA A PRINCIPIO RESPONDETUR.

— *Ad primum* * : quod objectum theologiæ est aliquid supernaturale, modo tamen naturali dispositum et penetratum seu illatum : et ideo pertinet ad habitum naturalem et naturaliter acquisitum, licet veritates suas resolvat in veritates seu principia supernaturalia, sicut dictum est. Et ita licet multa supernaturalia tractet et inferat de Deo : tamen, quia sub modo naturali illativo per propriam industriam et studium illa attingit, non supernaturali lumine formaliter dicitur illa attingere, sed formaliter naturali et virtualiter supernaturali, id est, resolubili in principia supernaturalia. — Unde cum dicitur quod medium

probandi est supernaturale, scilicet veritates fidei, *distinguo* : ut connexæ et penetratæ modo naturali, et studio acquisito, *concedo*; ut stant præcise sub lumine supernaturali, *nego*. Ad rationem autem luminis et habitûs supernaturalis, non sufficit quæcumque dependentia et resolutio in medium seu principium supernaturale : sed requiritur quod modus ipse illuminationis supernaturalis sit, et non modo naturali dispositus et acquisitus et penetratus; licet enim modus sciendi et inferendi per consequentias non præbeat rationem formalem scientiæ, tamen lumen quod solo discursu et industriâ ingenii naturalis elicitur ex veritatibus supernaturalibus, naturalis ordinis est : et ex hoc formalem rationem venamur, non ex eo solum quod artificium logicale naturalis ordinis sit.

13. *Ad primam confirmationem respondetur* ex supradictis, quod actus supernaturalis bene potest procedere a potentia naturali, dummodo virtus seu ratio proxima secundum quam procedit, supernaturalis sit, et potentiam elevet ad producendum talem actum. At vero generatio habitûs quantumcumque dependeat et originetur ex aliquo habitu supernaturali præbente principia suarum veritatum, non tamen habitus sic generatus supernaturalis est, cum per virtutem et modum naturalis potentiæ generetur et acquiratur, ut jam supra explicavimus. Unde actus procedens a tali habitu genito naturali modo, et qui naturalis entitatis est, naturalis etiam ordinis esse debet, licet ex principiis habitûs supernaturalis dependeat; quia actus semper sequitur suum proximum elicativum a cujus formali ratione, si naturalis ordinis est, naturalem quoque rationem participat.

14. *Ad secundam confirmationem respondetur* ex dictis, quod præmissa de fide influit radicaliter et remote : non proxime, nisi mediante lumine naturaliter acquisito, quod est lumen scientificum, quod est theologia. — Et cum instatur, quod præmissa de fide imprimit aliquid per illum influxum : respondetur quod imprimit subordinationem et dependentiam in cognitione conclusionum theologiarum ad ipsa principia fidei : non autem tendentiam formaliter supernaturalem ipsius scientiæ theologiæ in suum objectum; sicut virtutes naturales acquisitæ cum imperantur a supernaturalibus, recipiunt ex tali motione aliquam subordinationem ad finem extrinsecum supernaturalem, non autem tendentiam formalem et specificativam in sua propria objecta : ita,

* cf. supra, p. 384, n. 1

cum principia se habeant in speculativis sicut fines in appetibilibus, ex eo quod principia influant in conclusionem per modum principii, licet sint supernaturalia, non constituunt tendentiam formalem in objectum scientificum modo supernaturali : sed stante tendentiâ naturali per modum scilicet scientificum naturalem in objectum, remanet habitudo et dependentia resolubilitatis in principia supernaturalia; et hæc dependentia non facit lumen theologicum supernaturale quoad entitatem, et formaliter, id est, quoad formalem tendentiam scientificam in objectum : sed solum reddit illud dependens, et resolubile in principia supernaturalia; ex quo tamen habet majorem certitudinem lumen theologicum, quia ad hoc sufficit resolvi et habere subordinationem ad lumen superius supernaturale fidei cui connectitur : quod est esse virtualiter supernaturale, non formaliter, quia virtuali revelationi innititur; de quo articulo sequenti.

15. *Ad ultimum* * *respondetur*, quod etiam quando est duplex præmissa de fide, ipsa connexio ex qua resultat medium illativum et respicit conclusionem illatam tamquam objectum, est aliquid naturale formaliter, licet sit major aliqua subordinatione ad plura principia fidei : non tamen formale specificativum, neque ipsa connexio scientifica qua formaliter tendit in conclusiones,

est supernaturalis. — Et cum instatur, quod conclusio est per se secundo de fide, *distinguo* : per se secundo sub eadem ratione formali, *nego*; sub alia ratione formali consecuta, et subordinata ad primam, *concedo*; et ita illa consecutio et subordinatio petit distinctum lumen, licet dependens a primo et subordinatum ei : sicut lumen scientificum est distinctum a lumine principiorum, licet sit subordinatum ei et resolubile in illud. Et sic actus primarius et secundarius procedunt ab eodem habitu quando stant sub eadem ratione formali : non quando sub diversa, sicut habitus scientiæ et principiorum. Quod autem est per se secundo supernaturale ratione subordinationis et consequentiæ, non infertur quod entitative et formaliter sit supernaturale : sed solum quod sit subordinatum principio supernaturali. — Ad illud quod dicitur de majori certitudine theologiæ, dicemus articulo sequenti. Nunc sufficit advertere, quod illa major certitudo theologiæ est certitudo subordinationis et resolubilitatis in principia certiora : non autem tendentia supernaturalis formaliter in suum objectum; sufficit autem ad hoc ut superet omnem certitudinem naturalem, quod virtualiter et per subordinationem supernaturalis sit, seu in principia supernaturalia resolubilis : non ¹ quod formaliter.

ARTICULUS IX

Utrum certitudo theologiæ sit major quam omnis certitudo naturalis, et quomodo sit sapientia?

1. **S**UPPONENDUM est quid sit certitudo, et in quo consistat, et quotuplex sit. Certitudo ergo diffinitur a D. Thoma (in III D. 23, q. 2, a. 2, q. 3) quod est firmitas seu determinatio intellectûs ad unum; et in idem recidit quod ibi (dist. 26, q. 2, a. 4) dicit, quod est firmitas adhæisionis ad suum cognoscibile : determinatio enim intellectûs non nisi ad cognoscibile esse potest. Hæc certitudo est triplex. Prima, objectiva ex parte rei. Secunda, formalis ex parte intellectûs. Tertia, participativa ex parte voluntatis. — Certitudo seu firmitas ex parte objecti excludit fallibilitatem et contingentiam : illud enim objectum est certum et firmum in se, quod

habet causas firmas et infallibiles suæ entitatis et veritatis; et penes causas majoris vel minoris infallibilitatis, dicitur aliquid magis vel minus certum. — Certitudo formalis ex parte actûs intellectûs dupliciter consideratur, quia et tangit objectum, et determinat subjectum. Et prout est medium tangens objectum, certitudo actûs importat infallibilitatem, et excludit contingentiam quæ desumitur ab objecto; prout vero tangit subjectum et illud determinat, excludit dubitationem et hæitationem : quod maxime fit quando certitudo fundatur in evidentia, nam evidentia est conformis intellectui, et intra proprios terminos illum determinat et inhære facit.

¹ Intellige : non requiritur quod sit supernaturalis formaliter.

De hac nimia in dicendo brevitate, consule Præfationem.

* cf. supra,
p. 385, n. 1,
Denique

— Certitudo vero participata, quæ ex parte voluntatis se tenet, excludit inconstantiam vel timiditatem, et maxime pertinet ad fiduciam qua voluntas constanter rem aggreditur; qua ratione spes divina est certissima, non certitudine cognitionis de ipso eventu futuro assequendæ beatitudinis (de hoc enim nullus certitudinem habere potest extra revelationem) : et tamen de hoc certissimam habet spem, quantum ad certitudinem voluntatis practicam; quæ est certitudo constantiæ, ut sine timiditate vel inconstantia aggrediatur beatitudinem, non propter virtutem propriam, sed propter divini auxilii infallibilitatem ex parte Dei.

2. Igitur D. Thomas in hoc articulo quinto ostendit theologiam esse digniorem omnibus aliis scientiis, quia excedit illas : tum dignitate materiæ, quia agit de Deo ut auctor supernaturalis est, et de rebus supernaturalibus; tum ratione certitudinis, quia aliæ scientiæ certificantur de suis objectis in vi luminis naturalis : theologia autem in vi luminis supernaturalis a quo accipit principia, licet de conclusionibus iudicet per lumen acquisitum discursivum. — *Hinc ortum est dissidium inter auctores*, qua ratione intelligatur hæc major certitudo in theologia. — Nam *in primis*, theologia in nobis non excludit omnem dubitationem, cum non habeat evidentiam : scientiæ autem naturales illam excludunt, quia habent evidentiam resolvendi in sua principia.

— *Secundo*, quia certitudo theologiæ solum est naturalis ordinis, et nostro discursu acquisita; ergo licet in ipsis principiis habeat majorem certitudinem quam habitus naturalis, tamen in ipso proprio lumine theologico potest claudicare et deficere sicut aliæ scientiæ naturales; sufficit autem, quod ex aliqua parte possit deficere, ut ejus certitudo non sit major certitudine naturali.

— *Tertio*, quia non omnes partes theologiæ possunt istam certitudinem habere, sicut quando deducit conclusiones ex altera præmissa naturali, et similiter in parte practica et morali; nam præmissa naturalis ordinis non influit nisi certitudinem naturalem; pars autem moralis et practica versatur circa contingentia et singularia, quæ recedunt a certitudine scientiæ. — Quod vero dicitur elevari præmissam naturalem a supernaturali, non videtur verum : tum quia alias etiam posset elevari præmissa opinativa, et accipere certitudinem supernaturalem et omnimodam a fide; tum quia habitus principiorum naturalium non elevat præmissam minus certam ad hoc ut

producat assensus certior scientifico : ergo neque fides elevat præmissam naturalem, ut producat assensum certiore naturali.

3. Propter hoc aliqui auctores non admittunt doctrinam D. Thomæ universaliter, sed limitant illam quando theologia procedit ex utraque præmissa de fide. Ita Arrubal (hîc, disp. 5, cap. 9, concl. 2); Granados (disp. 7, ad secundum*), qui citant alios. — Alii dicunt theologiam non esse certiore illo principio *quodlibet est, vel non est* : non quatenus illud principium est notum naturali lumine, sed quia est ita universalissimum, ut in qualibet re revelata a Deo imbibatur; nam revelando hoc vel illud esse, revelat oppositum non esse, quia oppositum est hæresis. Ita Magister Zumel (in præsentia art. 5†). — Alii dicunt theologiam non aliter esse certiore aliis scientiis, nisi quia in nobis datur actus reflexus, quo iudicamus illi cognitioni non posse subesse falsum : non vero ea ratione, quia fides cui theologia nititur est certior ceteris scientiis; res autem ipsas non posse dici proprie certas vel incertas secundum se, sed solum magis vel minus necessarias. Ita Pater Vazquez (super art. 5 hujus quæst.). — Alii denique putant D. Thomam loqui de theologia prout est in beatis vel in Deo tamquam in subjecto connaturali : non prout in nobis, in quibus solum est certior quantum ad adhæSIONEM intellectûs, non quoad quietationem.

4. NIHILOMINUS RESOLUTIO NOSTRA EST : theologiam in conclusionibus scientificis quas resolvit in principia revelata, esse certiore ex parte suæ rationis formalis omnibus aliis scientiis, universaliter loquendo de omni conclusione theologica, et non solum ut in Deo vel in beatis, sed etiam prout in nobis. — Non tamen repugnat quoad aliquos effectus certitudinem scientiæ naturalis esse majorem certitudine theologiæ, immo et fidei; qui tamen effectus potius se tenet † ex parte evidentiam, quam certitudinis.

PRIMA PARS est communis Thomistarum, et videri potest Magister Bañez (hîc, art. 5) et Zumel*, Magister Gonzalez (disp. 5), Navarrete (controv. 12) et alii. Et sumitur ex D. Thoma qui (in hoc art. 5) absolute et sine restrictione docet theologiam esse certiore aliis scientiis, non obstante quod accipiat aliquando principia ab aliis scientiis ut sibi ministrantibus (ut patet solutione ad 2); ergo aperte sentit D. Thomas quod theologia, etiam cum utitur præmissâ ali-

* n. 7

† q. unica notabil. 2

† Ita omni Forte legdum : ten

* q. 1, a. 5 unica, conl et 2

quâ naturali, est certior aliis scientiis : alias ad quid poneret et solveret illud argumentum de theologia quando utitur præmissâ aliquâ naturali? Et de eodem videri potest in I Sent. q. 1 prologi, a. 1; et ibidem *ad Annibald.* q. 2, a. 2.

5. *Ratio est* : quia theologia resolvit suas conclusiones per consequentiam certam et evidentem in principia certiora omnibus principiis naturalibus; ergo est certior illis. — Consequentia patet : quia ut aliquis assensus sit certus, sufficit quod ejus certitudo evidenter et certo sit resoluta in principia certa, quia certitudinem participat a principiis; ergo ut sit certior, sufficit quod sit resoluta in principia certiora per eandem consequentiam evidentem. — Antecedens vero constat : quia principia in quæ resolvit theologia per consequentiam certam, sunt principia fidei, cujus certitudo est major omni certitudine naturali (ut ostenditur II-II q. 4, a. 8), cum sit luminis supernaturalis, qui est ordo divinus, et consequenter veritas ejus immutabilior et firmior omni certitudine naturali. — Confirmatur : quia si aliqua scientia resolveret in principia evidentia supernaturaliter, talis scientia esset evidentior omni scientiâ naturali, eo quod ab altiori lumine illustraretur ex parte suorum principiorum; ergo si aliqua scientia resolvit in principia certiora, talis scientia erit certior aliis : eadem enim ratio est in participando evidentiam et certitudinem, dummodo fiat per evidentem consequentiam.

6. Quod autem hæc certitudo theologiæ sit major omnibus scientiis, etiam cum procedit ex altera præmissa naturali, constat ex supradictis; quia licet præmissa naturalis concurrat ad conclusionem inferendam, tamen non sistit in eâ ultima resolutio : sed ulterius resolvitur, et fit dependens a præmissa de fide, et elevatur ab illa saltem extrinsece, quatenus ejus veritas subordinatur et regulatur per illam de fide, et judicatur non opponi illi; et sic prout deservit ad inferendam veritatem, habet ex connexionem cum præmissa de fide majorem certitudinem, ratione illius subordinationis ad fidem : et sic conclusio procedens est certior omnibus aliis scientiis, quæ carent tali subordinatione et connexionem cum certitudine fidei. Immo hinc clare revincitur sententia Arrubal * et Granados *, quia assensus theologicus ex una naturali et altera de fide, ad minus ex præmissa naturali habet certitudinem æqualem aliis scientiis naturalibus; et ultra hoc habet ex præmissa de fide aliquam majorem cer-

titudinem, quia etiam illa præmissa de fide influit ad minus sicut præmissa naturalis; ergo ex hac parte superat scientias naturales. Veritas autem est, quod præmissa naturalis, ut conjuncta præmissæ de fide, non extrahit illam a ratione virtualis revelatæ, ut supra ponderatum est : et sic illa præmissa naturalis solum se habet ut explicans, seu conducens ad explicandam connexionem objecti inferendi cum objecto revelato; et sic totum illud manet intra terminos objecti virtualiter revelati.

7. Quod vero attinet ad sententiam Patris Vazquez, manifestum est quod si certitudinem theologiæ ponit in actu reflexo, quo quis judicat se non falli in illo judicio : vel tale judicium reflexum est verum : vel falsum. Si falsum : ergo theologia non est certa, siquidem falsum est judicium quo judicant de ipsa, quod sit certa et infallibilis. Si est verum : ergo ita est quod ipse actus theologiæ est infallibilis, et certior aliis scientiis; ergo antecedenter ad actum reflexum habet istam certitudinem, nam per actum reflexum illam non acquirit, sed supponit : siquidem actus reflexus extrinsece se habet ad directum, nec potest illum constituere. — Nec potest dici, quod actus directus est certus objective, reflexus vero formaliter. Contra enim est : nam ille actus directus vere et proprie est actus intellectûs; ergo est capax certitudinis formalis, non minus quam actus aliarum scientiarum, nec minus quam ipse actus reflexus in quo non est aliquod principium unde sit magis infallibilis quam ipse actus directus : nam vel habet certitudinem fidei, vel evidentiam supernaturalem, vel scientiæ et discursûs theologici. Si hoc tertium : non est magis certus quam ipse assensus directus theologicus, et ita frustra ex illo actu reflexo sumitur hæc major certitudo. Primum et secundum dici non potest : quia nec habemus revelationem specialem de illo actu reflexo, cum nullibi hoc proponat Ecclesia; et multo minus de hoc habemus evidentiam claram supernaturalem, cum nullus illam experiatur.

8. Quod vero theologia, non solum prout est in Deo et beatis sed etiam prout in nobis, sit certior, patet; quia etiam prout in nobis, procedit ex principiis cognitivis lumine supernaturali, scilicet lumine fidei quæ in nobis datur; fides autem, quæ in nobis est, licet compati possit cum aliqua dubitatione ex parte subjecti : tamen secundum se, et ut tangit objectum, excedit omnem certitudinem naturalem, siquidem innitur

causæ omnino infallibili et immutabili, scilicet revelationi divinæ; ergo etiam theologia quæ ex illa deducitur et est in nobis, et non solum in beatis, certior est secundum se, licet ex parte nostra possit compati aliquam dubitationem, ut jam explicamus.

9. SECUNDA PARS CONCLUSIONIS, quod certitudo naturalis quoad aliquos effectus sit major certitudine theologiæ, sumitur ex D. Thoma II-II q. 4, a. 8, ubi docet fidem quoad nos, seu ex parte subjecti ¹, non esse certiore alii scientiis, licet secundum se certior sit. Quod ibi explicat D. Thomas sumendo certitudinem pro eo quod plenius consequitur noster intellectus: et hoc modo fit res minus certa ex parte nostra, id est, minus plene ab intellectu percipitur. Quod (in I ad Annibald. dist. 1^{*}, q. 2, a. 2) expressit D. Thomas dicens quod « theologia respectu nostri intellectûs minus captabilis est ». Et in hac quæstione (art. 5 ad 1) inquit quod « nihil prohibet id quod est certius secundum rem, esse quoad nos minus certum propter debilitatem nostri intellectûs; unde dubitatio, quæ accidit aliquibus circa articulos fidei non est propter incertitudinem rei, sed propter debilitatem nostri intellectûs ». — *Et hinc sumitur fundamentum hujus partis*: quia scientia habet certitudinem ortam ex evidentia, et sic aliquem effectum habet præter solam certitudinem in quo excedit fidem, scilicet evidentiam, licet in ipsa firmitate certitudinis non excedat. Ex eo autem quod ejus certitudo oritur ex evidentia, sequitur quod plenius assequatur a nostro intellectu, et satiatur et quietetur intellectus, siquidem evidentia est ultimum in quo intellectus sistit circa objectum; fides autem admittit aliquem motum, et ita dicitur, quod credere est cum assensu cogitare: id est, præbere assensum cum aliqua fluctuatione et motu cogitationis. Et inde est, quod positâ fide adhuc potest insurgere motus dubitationis, propter debilitatem nostri intellectûs nondum videntis veritatem. Quam dubitationem intellectus non potest extinguere ex vi objecti, quia non videtur: sed ex vi voluntatis recte dispo-

sitæ, aut ex vehementia motivorum credibilitatis. Et hinc etiam est, quod certitudo scientiæ immediate incipit et desumitur ab objecto, quia videtur; certitudo vero fidei mediante voluntate, quæ prius tangitur a motione divina, quam intellectus, eo quod voluntas debet movere intellectum ut credat et determinetur ad assentiendum, ut optime D. Thomas explicat (ad Hebr. XI, lect. 1); ergo certitudo scientiæ, quia ex evidentia oritur, connaturalior est intellectui, magisque illum relinquit intra suos proprios terminos, quia intellectus hoc maxime intendit, scilicet rem penetrare et quasi intus legere: quod non permittit obscuritas fidei, quia potius captivat intellectum et sub alienis terminis relinquit, utpote dependentem a motione voluntatis.

^{9bis}. An vero certitudo theologiæ, quam ponimus majorem scientiis naturalibus, sit etiam major certitudine principiorum quantumcumque universalium? Respondetur affirmative; id enim convincit ratio D. Thomæ (in hoc art. 5), quia theologia habet certitudinem ex lumine divinæ scientiæ, quæ decipi non potest. Cum ergo resolutio theologiæ sit in principia supernaturalia, necessario ex hac parte excedit totum genus et ordinem naturalis certitudinis, etiam quoad habitus principiorum: quia hæc principia innuntur certitudini inferioris ordinis, scilicet naturali, quæ minor est certitudine divinâ. — Et explicatur hoc amplius, et confirmatur: quia veritas principiorum quantumcumque per se nota, in nobis semper est reducibilis ad sensus ex quibus originatur, et eorum universalitas ex inductione factâ per sensus dependet ². Nam v. g. cum dico: *Omne totum est majus sua parte*, hæc universalitas fundatur in inductione sensuum, quibus continue videmus partes et totum, et quod partes sunt minores toto; sed quod hoc ita universale sit ut etiam supernaturaliter deficere non possit, licet ex terminorum natura optime deducatur, tamen ex vi inductionis per sensus factæ a qua dependet et originatur, semper de se subest fallaciæ et deceptioni, cujus sensus sunt capaces. Similiter cum dico: *Quodlibet*

¹ Omnes: *objecti*: mendose.

² Cave, prudens lector, ne existimes Joannem a S. Thoma hic fundare certitudinem formalem et universalitatem primorum principiorum super cognitionem sensilem, et inductionem factam per sensus: id quod, profecto, monstrum quoddam esset in re metaphysica. Tantummodo enim voluit notare duplici modo imminui (non in se, utique, sed ex parte debilis nostri intellectûs) certitudinem principiorum: tum quia excedunt omnem sensibilem experientiam, proindeque nequit mens humana in eorum contempla-

tione juvari imaginibus aut particularium exemplorum additione; tum etiam quia fons et origo totius humanæ scientiæ est in cognitione sensuum, ut præbente intellectui materiam unde suos abstrahat conceptus: quocirca saltem apud philosophos dubitari potest an ex tali origine aliquid incerti et fallaciæ contraxerint. — Quæ duplex anxietatis et hæsitationis causa prorsus tollitur quando divinâ revelatione approbantur rationis nostræ principia prima.

* rectius: q. 2
prologi, a. 2

est, vel non est, hoc principium verificatur quidem in quocumque singulari ex sensibus cognito; nam hoc ipso quod video aliquid esse, etiam video quod non stat non esse; et hoc ipso quod Deus revelat aliquid esse, relinquitur ut hæreticum dicere quod non sit. Ceterum universalizare illas propositiones, ita ut semper et in omnibus verificentur, non possumus plene videre ex sola vi inductionis quæ habetur per sensus, quia ex illis non certificamur quid lateat in omnipotentia Dei, et quid possit vel non possit circa illa. Quare cum principia non sint quæcumque veritates ex terminis notæ, sed universales redditæ, et universaliter enuntiantes (alias non erunt principia, si universalia non sint): ideo certitudo principiorum naturalium corrigi potest et certificari per divinam revelationem, tam quoad suam universalitatem, quam quoad causam unde accipitur eorum certitudo, scilicet quantum ad inductionem sensuum: quia revelatio accipitur a divina scientia, quæ universalior et certior est omnibus.

10. AD ARGUMENTA A PRINCIPIO RESPONDETUR. — *Ad primum* * respondet D. Thomas (in hoc art. 5 ad 1), quod non excluditur dubitatio a theologiâ orta ex debilitate nostri intellectûs non potentis rem capere sine evidentia: et sic ex defectu evidentie non quietatur intellectus; non tamen oritur illa dubitatio ex ipso objecto, vel ex ratione formali tendendi in illud, quod est divinum testimonium: hoc enim summam habet firmitatem; et sic non est causa dubitationis fundata in ipsa re aut lumine ejus, sed in imperfectione nostri intellectûs, et defectu evidentie. Certitudo autem, major vel minor non judicatur ex dubitatione orta ex parte subjecti, sed ex objecto vel ejus lumine: quia propria certitudo habet causas fundatas in ipsa immutabilitate objecti; sine fundamento enim veritatis non datur propria certitudo, licet possit dari nimia intellectûs adhæsiõ orta ex passione vel pravâ dispositione, quæ est pertinacia, et hæc datur circa falsum. Unde sola dubitatio quæ oritur ex ipsis fundamentis et causis objecti, opponitur certitudini in se: non autem quæ solum oritur ex defectu subjecti non assequentis plene veritatem.

11. *Ad secundum respondetur*, quod certitudo theologiæ formaliter est naturalis ordinis: sed originative, et ex parte suorum principiorum, est supernaturalis; et hac ratione excedit omnem naturalem certitudinem, quia resolvitur in principia supernaturalia. Et cum dicitur, quod ex ea

parte qua naturalis est, potest deficere: respondetur quod si absolute esset naturalis, deficere posset; sed ut habet connexionem cum principio supernaturali, ad ejus indeficientiam elevatur: quia in bona consequentia, si antecedens est verum, consequens non potest esse falsum, et si antecedens est indefectibile, consequens non potest esse fallibile, prout subest illi antecedenti. Et hac ratione dicitur proprie elevari præmissa naturalis a supernaturali: non in se intrinsece accipiendo majorem certitudinem, sed ex connectione cum præmissa supernaturali ad inferendam conclusionem: ne possit dari antecedens infallibile, id est, tam major, quam minor, et consequens fallibile; sicut dici solet de rebus contingentibus, quæ ut subsunt divinæ scientiæ et providentiæ, sunt infallibiles, licet secundum se contingentes. Quando autem altera præmissa opinativa est, statim dicemus.

12. *Ad tertium respondetur*, quod etiam quando altera præmissa est ordinis naturalis, conclusio est majoris certitudinis, quam sola præmissa ordinis naturalis; nec enim est necesse quod certitudo conclusionis sit minor quâlibet præmissâ secundum se, sed utrâque, ut constituit unum medium quod ex utrâque præmissâ resultat. In præsentem autem, ex præmissâ naturali, et de fide, fit unum medium virtualis revelationis, quod est certius conclusione illatâ quæ ab illo participat certitudinem. Et præmissa naturalis non ex æquo influit cum præmissâ de fide, sed ut illi ministrans et subordinata, et ad ejus certitudinem elevata, ut sæpe dictum est. Et tunc non sequitur conclusio debiliorem partem præmissæ naturalis: eo quod non resolvitur ultimate in illam, sed in præmissam supernaturalem quæ certitudinem præmissæ naturalis corrigit et elevat. — Et ad replicam contra hoc, dicitur quod præmissa opinativa non est capax ut corrigatur et elevetur a majori certitudine fidei, quia in se nullam habet certitudinem, sed fallibilitatem; et ita si aliquam certitudinem accipiat, destruetur in ratione opinativæ. — 13. Ad secundam replicam dicitur, quod habitus principiorum naturalium non respicit præmissam minus certam, ut ministrantem sibi, et regulabilem a se tamquam ab altiori lumine, sed ut inferentem secum ex æquo; et sic non potest præbere illi majorem certitudinem quam in alia scientia haberetur: nec enim ex habitu principiorum potest quælibet præmissa naturalis majorem certitudinem haurire ad conclusionem inferendam, quam ad scien-

cf. supra,
p. 390, n. 2,
Tertio

* cf. supra,
p. 390, n. 2,
in primis

cf. supra,
p. 390, n. 2,
Secundo

tificum assensum naturalem : non ut sit assensus sicut assensus principiorum, quia hic illativus non est. Quod si esset scientia alia superior, quæ posset regulare et corrigere seu perficere præmissam inferioris scientiæ : etiam communicaret illi majorem certitudinem ad inferendam conclusionem, quam si sine tali superiori scientiâ inveniretur.

* ibidem

14. Ad id quod dicitur * de parte theologiæ morali : respondetur quod in moralibus id quod scientificum est, solum tractat de regulis quibus recte operandum est : et istæ non sunt contingentes, sed certæ, sicut omnes aliæ regulæ artium, licet versentur circa materiam contingentem; quia versantur circa illam non absolute, sed ut regulabilis est regulis certis et determinatis; quæ scilicet deducuntur ex principiis practiciis certis.

* disp. 5, c. 9,
concl. 2, n. 36

15. Si *instes* ex Patre Arrubal (ubi * supra) : quia impossibile est quod consequens sit magis necessarium ex vi connexionis cum antecedente, quam ipsum antecedens; sed consequens theologicum non habet connexionem solum cum principio de fide, sed etiam cum principio naturali;

ergo non potest esse magis certum quam illud complexum ex naturali et de fide : illud autem complexum non est magis certum quam principium naturale, siquidem pendet ab illo et includit illud; ergo non est magis necessarium quam illud, et sic assensus non est magis certus quam assensus ad propositionem naturalem : — Respondetur negando quod illud complexum non sit certius, quam illa sola præmissa naturalis. Et cum dicitur quod pendet ab illa et includit illam, *distinguo* : pendet ab illa ut sibi ministrante et subordinata, et per præmissam de fide regulata, *concedo*; ut æque principaliter concurrente, *nego*; sed ut deservit virtuali revelationi, et ut facit connexionem cum re formaliter revelata per fidem, ut sæpe explicatum est. Et ideo illud complexum seu antecedens non redditur solum naturale, sed redditur virtualiter revelatum, et supernaturale originative : quatenus resolvitur veritas conclusionis in illud principium supernaturale, et ipsa veritas præmissæ naturalis etiam subordinatur et corrigitur per supernaturalem; et sic tandem tota certitudo resolvitur et pendet a principio supernaturali ut inferente.

ARTICULUS X

Utrum theologia sit simul practica et speculativa.

1. **I**N articulo quarto hujus quæstionis, duo dicit D. Thomas. Primum, quod in scientiis naturalibus, seu philosophicis (id est, ordinis naturalis), alia est scientia practica, alia speculativa. Et sic supponit quod speculativum et practicum pertinent ad scientias specie diversas. Secundum est, quod quia theologia se extendit ad ea quæ pertinent ad scientias diversas, potest una existens esse simul practica et speculativa : licet magis speculativa sit, id est, principalius, quia theologia principalius attingit Deum, et de ejus disputat naturâ.

2. *Huic autem resolutioni D. Thomæ, diversæ sententiæ opponuntur* diversis viis. Nam quidam existimant cum D. Thoma practicum et speculativum esse quidem differentias específicas et essentielles, non tamen theologiam esse simul practicam et speculativam, sed vel solum speculativam, vel solum practicam. Et pro primo citatur Henricus *, pro secundo Scotus **, ut refert Arrubal (hîc, disp. 4, c. 1). — Alii existimant practi-

cum et speculativum esse differentias accidentales, et sic posse eidem habitui seu scientiæ convenire, dummodo talis scientia non sit adæquate practica vel speculativa. Unde ex hoc quod fides seu theologia se extendit ad ea ad quæ naturales scientiæ, non sequitur quod sit simul practica et speculativa : quia hoc ipsum cum sit accidentalis differentia, potest in quacumque scientia reperiri, quæ pro inadæquato objecto respicit rationem practici vel speculativi. Ita sentiunt Molina (hîc, art. 4, disp. 2); Vazquez (disp. 9, c. 3); Granados (disp. 6*), qui etiam eundem actum in logica vel scientia naturali docet posse esse simul practicum et speculativum; idemque sentit Valentia * (quæst. 1, puncto 3, § 4); Arrubal (disp. citata, c. 3).

3. Ceterum *communis sententia Thomistarum* est, quod practicum et speculativum de se sunt differentiæ essentielles; in theologia tamen non invenitur practicum et speculativum formaliter, ea formalitate ut est in scientiis inferioribus, sed

* *Henr. Gandavens.* Summa quæstionum, art. 8,

q. 3

** in 1 Sent., q. 4 prologi, nn. 31, 41

* præsertim n. 12

* tom. 1, disp. 1, q. 1, puncto 3, § 4

eminenter sub ratione superiori utrumque comprehendente. Quod de dono sapientiæ, et scientiæ, et intellectûs affirmat D. Thomas (II-II q. 8, a. 3 et 6; et q. 9, a. 3; et q. 45, a. 3); idque reducit ad altitudinem horum donorum, et eodem modo id affirmat de nostra theologia (in hac quæst. 1, a. 4). Sequuntur D. Thomam ejus discipuli Cajetanus et Bañez (super istum art. 4); González (hîc, disp. 4 *); Navarrete (controv. 11). Inter quos tamen aliqua levior controversia est, an speculativum et practicum quod invenitur in theologia, sit formaliter illud speculativum quod invenitur in inferioribus scientiis : an solum virtualiter et eminenter. Nam Magister Bañez videtur docere, quod speculativum et practicum, ut sunt differentiæ scientiarum, formaliter inveniuntur in theologia. Alii vero, quod solum eminenter : formaliter vero est aliquid altius practico et speculativo scientiarum inferiorum; de quo Magister Navarrete (citato loco, § 5).

4. SUPPONO EX HIS QUÆ DIXIMUS IN LOGICA (q. 1 *, art. 4), quod speculativum et practicum, per se loquendo, sunt essentialia differentiæ habituum intellectualium. Cujus explicatio constabit ex ipsa explicacione speculationis et praxis, a quibus accipitur ratio practici et speculativi. Et licet aliqui dubitent in quo consistat praxis, an in aliquo actu intellectûs, vel in aliquo opere extra ipsum : tamen ista dubitatio facile componitur distinguendo de praxi formaliter, et objective. Nam formaliter est actus practicans, id est, dirigens et causans opus; et sic pertinet formaliter ad actum intellectûs, qui solus dirigere potest. Si vero sumatur praxis objective, id est, pro objecto ad quod tendit actus practicans : necessario debet esse aliquid præter cognitionem intellectûs, vel saltem dicere ordinem ad aliquid extra intellectum. Quod sumitur ex D. Thoma I-II q. 57, a. 1 ad 1; et II-II q. 179, a. 2, ubi docet quod practicum quod dividitur contra speculativum, sumitur ab opere exteriori. Et ratio est, quia intellectus practicus supponit speculativum juxta illud quod dicit Aristoteles ¹ (in III *de Anima*), quod « intellectus speculativus extensione fit practicus »; nam regulatio alicujus non potest fieri nisi cognitâ naturâ ejus quod ordinandum est : alioquin fiet ordinatio et regulatio imperfecte, et ex subordinatione ad alterum a quo dirigatur : et tunc in illo supponet cogni-

tionem speculativam ejus quod dirigendum est. Si ergo practicum supponit speculativum tamquam dirigens et præcedens se, ergo debet supponere speculativum perfecte et sine errore cognoscens, ut ex illo oriatur practicum; alioquin si speculatio errat, practica non poterit rectificari, et sic neque emendare et dirigere ipsam speculationem; sed speculatio dirigi debet, ne erret, ab aliquo intra genus speculationis, et antequam ratio practici oriatur : qua ratione (loco citato *Logicæ*) diximus non posse logicam esse practicam, quia dirigit speculationem ne erret; speculatio enim recta, et sine errore anterior est omni practico. Quare ratio practica non potest habere pro objecto actum intellectûs, qui sit speculatio. Similiter neque actum ipsum practicum : quia vel haberet se ipsum pro objecto, vel alium actum practicum; se ipsum habere non potest : actus enim non potest ferri in se ut in objectum, nisi per reflexionem qui est alius actus distinctus. Si vero habet alium actum practicum, de illo inquiremus quid habeat pro objecto; et sic cum non procedatur in infinitum, oportet devenire ad actum qui respiciat pro objecto practicabile aliquid extra intellectum : et ab illo denominabitur tota directio illorum actuum practica. Quod si aliquando cognitio ipsa etiam practice dirigitur, id non est quatenus cognitio, sed quatenus voluntarie fit; qua ratione dicit D. Thomas (II-II q. 47, a. 2 ad 2), quod etiam « ipse actus speculativæ rationis, secundum quod est voluntarius, cadit sub electione et consilio, consequenter sub ordinatione prudentiæ », quæ utique practica est.

5. Ex quibus deducitur manifeste, quod practicum et speculativum important differentias intra genus intelligendi; nam differunt secundum diversam rationem objecti intelligibilis, id est, secundum diversam immaterialitatem seu abstractionem, quæ ad rationem formalem et essentialem intra genus intellectivum pertinet. Quod autem sic differant, constat : quia objectum ut speculabile solum importat et attingit objectum secundum rationem quidditatis suæ, et eorum quæ quidditatem consequuntur; ideoque respicit veritatem abstrahendo ab exercitio existendi. At vero practicum respicit objectum ut stat sub exercitio existendi, et quantum ad ipsam executionem; ergo concernit id quod speculatio

* præsertim
concl. 4

* Pars II, q. I,
a. 4
(ed. Reiser, t. I,
p. 269, sqq.)

(ed. Reiser,
t. I, p. 273 a

¹ Hoc effatum a multis Aristoteli tribuitur; qui locum communiter assignant, nempe III *de Anima*, text. 49. Re autem verâ hæc verba nequaquam protulit Philosophus, licet locus citatus

(ed. Bekker 433 a 14-15) aliquid offerat unde tritum illud adagium deduci potuit. Cf. S. Thomam, I P. q. 79, a. 11 in corpore.

relinquit, et a quo abstrahit; ergo diversa est abstractio objecti unius et alterius, et diversa immaterialitas; ergo et diversa intelligibilitas essentialiter, quia essentialis ratio intelligibilitatis ab immaterialitate sumitur. Nec solum differunt penes diversos modos, scilicet una modo resolutive, altera modo compositivo; nam isti modi necessario reducuntur ad diversam immaterialitatem et abstractionem objecti, ut ostensum est, et consequenter ad diversam intelligibilitatem: ex hoc autem sumitur, non solum modalis, sed etiam essentialis et formalis differentia in genere intelligibili. — Neque etiam obstat, quod practicum et speculativum videntur solum differre ex fine extrinseco, quia scilicet una intendit reducere ad opus id quod altera speculatur: quod certe non requirit distinctam cognoscibilitatem objecti, sed distinctam ordinationem ad finem, et quod subjiciatur nostræ potestati id quod speculabamur: nam hoc ipso illa notitia sufficit dirigere ad executionem; quod totum extrinsecum est cognitioni. Sed respondetur non sufficere notitiam speculativam cum potestate exsequendi, ad hoc ut illa notitia reddatur practica: sed requiritur ulterius quod detur aliqua notitia directiva secundum rationem illius potestatis executivæ, et ad hoc non inclinatur ipsa notitia speculativa, nec sufficit; multi enim optime intelligunt speculative, et inepte dirigunt practice; est ergo distincta difficultas in notitia speculativa, atque in directiva seu practica. Quare non distinguuntur ex solo fine extrinseco, vel ex appositione potestatis executivæ: sed ex ipso intrinseco ordine ad objecta, ex quo una notitia habet respicere tantum veritatem secundum se in abstracto, altera secundum ea quæ requiruntur ut ponantur in exercitio existentiae.

6. His suppositis **DICO PRIMO**: Non potest ratio practici et speculativi, prout reperitur in scientiis inferioribus et naturalis ordinis, inveniri in theologia vel fide formaliter, etiam inadæquate. Sed oportet quod reperiat aliquod altius et eminentius illo practico et speculativo inferiori, ita quod solum contineat perfectionem practici et speculativi, sed non formalitatem et limitationem quæ invenitur in inferioribus. — **PRIMA PARS** est contra auctores supra citatos*, qui existimant practicum et speculativum, quando inadæquate se habent in aliqua scientia, esse differentias accidentales; quando vero adæquate se habent, essentielles. Et sic

ponunt in theologia idem practicum et speculativum, quod in scientiis inferioribus. Quæ doctrina videtur parum constans, quia si semel aliqua differentia essentialis est intra aliquod genus, non potest intra illud reddi inadæquata et accidentalis. — *Cujus ratio est*: quia differentia essentialis est illa quæ radicatur in aliquo genere ad constituendam quidditatem specificam intra illud genus; ergo differentia quæ semel est essentialis, etiam adæquata esse debet pro constituenda specie: quia species constituta unica est, et unicam atque adæquatam debet habere differentiam; ergo si talis differentia intra idem genus redditur accidentalis et inadæquata, ergo tollitur radicatio ejus in illo genere, ut non sit essentialiter contrahens, sed accidentaliter adveniens: quod sine mutatione intrinseca ipsius differentiae et radicis ejus fieri non potest. Unde uti possumus inductione in omnibus aliis generibus: in quibus non poterit inveniri, quod id quod intra tale genus se habet ut differentia essentialis, possit intra id genus se habere ut differentia accidentalis; solum autem inveniemus, quod id quod in uno genere essentielle est, in alio genere accidentale sit. Cum ergo intra genus scientificum, practicum et speculativum aliquando sint essentielles differentiae, quia ex parte objecti formalis se tenent et diversam immaterialitatem inducunt, ut diximus: numquam poterit tale speculativum et practicum reddi accidentalis differentia intra tale genus. — Dicere autem, quod est differentia essentialis quando adæquate se habet, et accidentalis quando inadæquate: est plane petere principium, vel committere circulum. Nam inquiri quando talis differentia adæquate se habet? Et dicitur, quod adæquate se habet quando est essentialis, ita quod aliam differentiam non habeat; hoc autem est quod inquirimus: quando talis differentia essentialis est, et non habet aliam, aut quando est accidentalis, et inadæquata redditur? Et si respondeatur, tunc esse accidentalem quando inadæquate se habet, committitur circulus: quia ideo est accidentalis, quia inadæquata, et ideo redditur inadæquata, quia accidentalis.

7. *Nec potest dici*, quod quia in scientiaveniuntur diversi habitus partiales circa diversas conclusiones, etiam dantur diversæ differentiae partiales practici et speculativi. — *Contra enim est*: tum quia apud nos scientia totalis et integra non conflatur ex diversis habitibus partialibus, sed est unica qualitas unicam habens differen-

* cf. supra,
p. 394, n. 2,
Alii
existimant

tiam, et simplicem, ut probavimus in quæst. 27 *Logicæ* * ex D. Thoma (I-II q. 54, a. 4); tum etiam quia in oppositâ sententiâ eadem currit difficultas : nam de quolibet partiali habitu inquiri, an habeat pro essentiali differentia, quæ respectu sui adæquata sit, practicum vel speculativum : vel non. Si primum : ergo numquam salvatur quod illa differentia reddatur accidentalis et inadæquata respectu illius partialis habitus, cui semel essentialiter convenit. Si secundum : restat difficultas, quomodo in illo partiali habitu ratio *speculativi*, verbi gratia, accidentalis differentia sit, cum se teneat ex parte objecti formalis, et diversæ immaterialitatis : et ita non potest reddi accidentalis differentia in illo partiali habitu, nisi supponatur alia prior, cui ista accidentaliter adveniat; et illa non assignatur, quænam sit. — Nisi forte dicatur tunc speculativum esse differentiam essentialem, non quidem respectu partialis scientiæ, sed totalis, quando in aliqua scientia totali omnes habitus partiales speculativi sunt : tunc autem esse accidentalem differentiam, quando unus habitus partialis est speculativus, et alter practicus. Sed contra hoc est : quia scientia totalis, si conflatur ex multis habitibus partialibus, non habet aliquam differentiam essentialem ipsi toti convenientem præter differentias partiales : quia illa totalis scientia non est aliquid per se unum conflatum ex compositione vel mixtura partialium habituum, cum talis physica compositio non detur; ergo in tali sententiâ non potest speculativum vel practicum reddi essentialis vel accidentalis differentia, nisi ex parte habituum partialium, in quibus tamen currit ratio facta.

8. SECUNDA PARS CONCLUSIONIS, scilicet non posse fidem et theologiam simul in se includere tale practicum et speculativum, quale invenitur in scientiis ordinis naturalis : constat ex generali ratione, quia duæ species essentialiter distinctæ non possunt conjungi in aliquo quantumcumque superiori, nisi remotâ earum oppositione : siquidem species essentialiter distinctæ oppositionem habent inter se. Removeri autem non potest illa oppositio, quamdiu non removetur illa forma et ratio inferior limitata ex qua causatur, et ¹ reperiatur in aliqua forma eminentiori, in qua sit illa formalitas, non sub ratione opposita et limitata respectu alterius, sed altiori *, in qua non sit talis oppositio actualiter, sed eminenter. Itaque

tota perfectio inferioris poterit inveniri in superiori, sed non limitatio et coarctatio inferioris, causans actualem oppositionem cum alia forma; sicut sensus communis continet superiori modo perfectionem omnium sensuum exteriorum, et intellectus perfectionem omnium sensuum, sed non formalem modum eorum.

9. *Si autem quæras* : quomodo fides et theologia eminenter contineant perfectionem practici et speculativi? *Respondetur dupliciter hoc posse explicari.* — *Primo* : quia habitus supernaturales, vel originati ab illis, induunt modum potentiæ, et afficiunt potentiam intellectivam tam quoad rationem speculativam, quam practicam; potentia autem intellectiva simul est speculativa et practica; et ita habitus ille superioris ordinis, quia ad modum potentiæ se habet, et totam eam informat, tam ut est practica quam ut est speculativa, simul etiam induit rationem practici et speculativi : non eo modo quo est in habitibus inferioribus, sed ad illum modum quo est in potentia. Sic colligitur ex D. Thoma II-II q. 52, a. 2 ad 2; ubi ponit differentiam inter donum consilii et donum scientiæ, quod donum consilii directe adjuvat prudentiam, sed « donum scientiæ non directe respondet prudentiæ, cum sit in speculativis : sed secundum quamdam extensionem eam adjuvat ». Constat autem, quod donum scientiæ simul est practicum et speculativum (ut dicit eadem II-II q. 9, a. 3); ergo si extensione quadam fit practica ², consequenter habet rationem speculativi et practici ad modum potentiæ, quia potentia intellectiva seu intellectus speculativus extensione fit practicus. Et similiter donum sapientiæ informat istum intellectum, tam quoad partem practicam, quam speculativam, ut docet D. Thomas (II-II q. 45, a. 5 *). Et sic in istis habitibus speculativum est radix et fundamentum practici, non tamquam regula extrinseca, sed tamquam intrinseca : id est, ut conveniens eidem habitui, sicut eidem potentiæ convenit speculativum et practicum; et ipsa ratio speculativi est fundamentum practici, non tamquam regula extrinseca ipsi potentiæ, sed in eadem potentiâ fundata, et quadam extensione rationem practici habens.

10. *Secundo*, explicatur ista conjunctio practici et speculativi in illa ratione eminenti, quatenus fides et theologia derivantur a lumine divino. Ad hoc enim reducit D. Thomas hoc ipsum (in

* et præsertim art. 3

* id est : sed sub altiori

¹ Ita omnes || Censemus legendum : ita ut reperiatur.

² Ita omnes || Forte legendum : practicum.

* Pars II, q. 27, a. 2 (ed. Reiser, t. I, p. 831, sqq.)

ista quæst. art. 4), dum inquit quod « licet in philosophicis, alia sit doctrinâ practica, alia speculativa, sacra tamen doctrina comprehendit sub se utramque, sicut Deus eâdem scientiâ cognoscit se, et ea quæ facit ». Cujus ratio redditur a D. Thoma (II-II q. 9 citata, a. 3), quia « fides primo et principaliter in speculatione consistit, in quantum inhæret primæ veritati; sed quia veritas etiam est ultimus finis propter quem operamur, inde etiam est quod fides ad operationem se extendit, juxta illud (ad Gal. v, 6) : *Fides, quæ per dilectionem operatur*. Unde etiam oportet, quod donum scientiæ primo quidem et principaliter respiciat speculationem in quantum habet [homo] scire quid fide teneri debeat : secundario autem se extendat ad operationem, secundum quod per scientiam credibilium, et eorum quæ ad credibilia consequuntur, dirigimur in agendis ». — Ex quo fit argumentum : quia principia theologiæ sunt res revelatæ per fidem; fides autem non solum credit Deum esse primam veritatem (quod pertinet ad speculationem), sed etiam tangit ut finem, ad quem consequendum dirigimur (quod pertinet ad praxim) : unde in Scripturâ multa præcepta continentur, tam moralia, quam cæremonialia; theologia autem versatur discurrendo circa omnia, circa quæ versatur fides et Scriptura credendo; ergo non solum versatur speculative circa veritatem, sed directive et practice circa finem et media et præcepta tradita a Deo : atque ita quoad hoc habet eminenter vim prudentiæ, nec solum sistit in speculatione, sed etiam dirigitur in praxi, quia ut dicit D. Thomas citato loco, « per scientiam credibilium et eorum quæ ad credibilia consequuntur, dirigimur in agendis. » Quæ autem consequuntur ad credibilia, sunt ea quæ theologia deducit ut conclusiones consecutas ex creditis per fidem.

11. Unde etiam constat qua ratione dicatur theologia magis speculativa, quam practica : quia scilicet lumen fidei, quod sequitur theologia, principaliter respicit Deum ut veritatem in se, quam quoad assequibilitatem practicam ejus ut finis ultimi, eo quod principalius fidei articuli sunt de his quæ pertinent ad Deum in se; hoc autem pertinet ad speculationem, quia tangit præcise veritates Dei in se.

12. An vero absolute dicenda sit theologia formaliter practica, vel speculativa? Respondetur

posse dici; sicut etiam divina scientia formaliter speculativa est et practica : quia istæ rationes practici et speculativi non important aliquam imperfectionem intrinsecam, ratione cujus metaphorice, et non proprie, debeant poni in Deo; idem est autem poni proprie, et formaliter. Si tamen ly *formaliter* intelligatur sub ea formalitate qua invenitur in inferioribus, scilicet limitate et determinate : sic non inveniuntur in Deo formaliter formalitate limitatâ, sed eminenter; et sic inveniuntur eminenter et formaliter, eminenter quidem comparative ad practicum et speculativum quod est in inferioribus, formaliter autem quia proprie et non metaphorice, secundum perfectionem suam, non secundum limitationem suam; sicut in anima rationali invenitur vegetativum eminenter formaliter, eminenter quidem respectu vegetativi quod est in planta, formaliter autem quia proprie et non metaphorice habet istum gradum. Eodem modo dicimus de theologia et fide, quia participant eminentiam illam ad eum modum quo invenitur in Deo.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

13. PRIMO, ARGUITUR ad probandum quod non sint essentielles differentiæ in scientiis practicum et speculativum : Quia in ipsa potentia intellectiva non sunt essentielles differentiæ, ut docet S. Thomas (I P. q. 79, a. 11); et similiter in visione beata et fide, nos dicimus non facere differentiam essentialem. Ergo neque facient in habitibus inferioribus : ideo enim in potentia non faciunt differentiam essentialem, quia non se tenent ex parte objecti; ergo neque in habitibus essentielles differentiæ erunt, sed pertinebunt ad diversum modum operandi. — *Confirmatur* : quia ex diversa intentione operantis et diverso modo operandi, variatur scientia speculativa et practica; ergo istæ differentiæ non possunt esse essentielles, utpote non desumptæ ex objecto, sed ex operante. — Antecedens est D. Thomæ, I P. q. 14, a. 16, ubi inquit quod « si quis ædificator consideret qualiter posset fieri aliqua domus, non ordinans ad finem operationis sed ad cognoscendum tantum, erit quantum ad finem speculativa consideratio ». Et subdit quod « scientia, quæ est speculativa ratione ipsius rei scitæ, est speculativa tantum; quæ vero speculativa est secundum modum vel finem,

¹ Ita omnes || Forte melius legeretur : *dirigit*; aut aliquid

supplendo, intelligendum : [ab ea] *dirigitur* [homo] in praxi.

est secundum quid practica, et secundum quid speculativa; cum vero ordinatur ad finem operationis, est simpliciter practica»; ergo esse practicum vel speculativum est aliquid accidentale, utpote dependens ab ordinatione et fine operantis. — Et a signo id constat: quia dirigere opus, vel non dirigere, est aliquid extra genus notitiæ: sicut in intuitivo et abstractivo, habere rem præsentem physice, vel non habere. — Et sæpe notitia aliqua desinit esse directiva aut practica, quia non est in facultate nostra id facere, cum tamen ex parte notitiæ habeat quiddam ad id sufficit: sicut modo non habemus scientiam practica de nutritiva v. g., quia non est in potestate nostra eam dirigere; si tamen Deus eam subjiceret nostræ potestati, per hanc eandem notitiam practice illam dirigeremus.

14. RESPONDETUR: practicum et speculativum non diversificare potentias, sed habitus; quia potentiæ procedunt universaliori modo et magis indifferenti, et ideo ea quæ sufficiunt ad diversificandum habitus, non sufficiunt ad variandum potentias; et tamen ex parte objecti se tenent respectu habituum; sicut dantur diversæ scientiæ secundum speciem, in eadem tamen potentia intellectiva. Visio autem beata et fides propter rationem superiorem, quia supernaturales sunt, tamquam quædam participationes divinæ scientiæ altiori modo uniunt in se practicum et speculativum, ut explicatum est.

15. Ad confirmationem respondetur: D. Thomam distinguere practicum et speculativum, quando sunt differentiæ essentielles ex parte objecti seu finis intrinseci; at vero speculativum et practicum secundum quid, id est, quantum ad aliquem modum seu condicionem extrinsecam pertinentem ad usum et exercitium scientiæ, ita quod non solum scientia ipsa sit practica, sed etiam intentio ususque scientiæ practicus sit, et cum applicatione ad opus: ex hac parte distingui potest practicum et speculativum accidentaliter. Itaque quando D. Thomas dicit considerationem aliquam esse speculativam ex fine, et posse esse practica ex fine, idque docet esse practicum et speculativum secundum quid; loquitur de speculativo et practico ex parte scientis, seu quantum ad intentionem et usum scientis: non ex parte scientiæ et secundum specificationem ejus. Cum vero dicit, quod quando ordinatur ad finem operationis, est simpliciter practica, *ly simpliciter* non est idem quod absolute et quantum ad substantiam: hoc enim

habet ex fine scientiæ, seu ex parte objecti secundum se; sed *ly simpliciter* est idem quod omnibus modis, quia tunc, tam ex parte scientiæ quam ex parte scientis, practica est. — Ad id vero quod dicitur a signo: respondetur directionem non esse extrinsecam ipsi cognitioni, sed essentialiter est ipsa cognitio; fit enim directio ordinando aliquid, et denuntiando ut fiat, et utrumque cognitionis est: hac enim ratione docet D. Thomas (I-II q. 17, a. 1) imperium esse actum intellectûs, quia ordinat et denuntiat. Quia vero in tali ordinatione imperativâ etiam includitur efficacia movendi, quæ a voluntate originatur: ideo ordinationis ut efficax, addit supra cognitionem aliquid extra genus ejus, scilicet motionem voluntatis. Intuitivum autem et abstractivum non differunt intrinsece loquendo per diversam manifestationem et lumen, sed per diversam condicionem ex parte terminationis objecti: quia scilicet objectum est in se existens quando cognoscitur et coexistens cognitioni, vel non est existens; non quia magis vel minus penetratur, sed stante eadem penetratione et manifestatione, per hoc solum quod sit præsens vel non sit præsens, redditur intuitivum vel abstractivum. — Quod vero additur, quod si Deus daret facultatem faciendi aliquid, sufficeret notitia speculativa ante habita cum illa facultate ad faciendum: dico non sufficere puram speculationem, sed requiri dictamen directivum; et hoc si non adderetur cum illa nova facultate, nunquam aliquid fieret.

16. SECUNDO, ARGUITUR ad probandum quod theologia non est simul speculativa et practica, formaliter et proprie. Nam theologia pure est scientia, et non prudentia; ergo est mere speculativa, et non practica. — Antecedens est certum: quia si theologia esset prudentia, non requireretur alia virtus prudentiæ præter ipsam; constat autem posse esse magnum theologum, et valde imprudentem seu peccatorem. Et quia alias corrumpitur theologia per peccatum, sicut corrumpitur dictamen prudentiæ, si theologia esset prudentia. — Consequentia autem patet: quia inter habitus practicos solum numeratur prudentia circa agibilia, et ars circa factibilia; scientia autem ut scientia non est virtus practica, etiamsi versetur circa materiam moralem, quia procedit resolutivo modo, definiendo et dividendo, non movendo. — Confirmatur: quia cognitio pure speculativa sufficit regulare amorem et virtutes; ergo non bene colligitur

quod theologia sit practica, ex eo quod regulat amorem Dei et virtutes. Antecedens probatur : quia Deus per notitiam quam habet de se, regulat amorem sui; et tamen notitia quam de se habet, est pure speculativa, ut docet S. Thomas (I P. q. 14, a. 16); ergo sufficit speculativa cognitio ad regulandum amorem Dei et virtutes. — *Confirmatur secundo* : quia theologia solum secundario est practica, scilicet respectu objecti secundarii, id est, operationum nostrarum, nam primarium est Deus; ergo solum secundum quid est practica.

17. RESPONDETUR : theologiam non esse prudentiam proxime et formaliter, sed directive et architectonice; nam ut dicit D. Thomas (II-II q. 9, a. 3), « per scientiam credibilium, et eorum quæ ad credibilia consequuntur, dirigimur in agendis. » Et (q. 16, a. 2 ad 1) inquit quod « scientia, et intellectus fidelium Dei consistit in præceptis legis ». Et (q. 52, a. 2 ad 2) dicit quod « donum scientiæ directe non respondet prudentiæ, cum sit in speculativis, sed per quamdam extensionem eam adjuvat ». Sic ergo theologia dirigit prudentiam et ideo architectonice se habet ad illam; sicut enim fides dirigit prudentiam in quantum credendo dirigit vitam nostram, sic theologia discurrendo circa ea quæ fidei sunt, et circa præcepta quæ traduntur in Scriptura, etiam habet instruere vitam nostram et dirigere prudentiam; formantur enim discursus prudentiales consulendo theologiam, quæ explicat fidem etiam in his quæ pertinent ad instructionem morum. Unde sicut fides, quatenus est practica et per dilectionem operatur, habet dirigere prudentiam et ea quæ ad mores nostros pertinent : ita theologia quatenus explicat fidem etiam in his quæ practica sunt, habet dirigere prudentiam. — Et cum dicitur quod non datur scientia practica, nisi habeat adjunctam prudentiam : respondetur quod scientia quæ tantum fundatur in principiis naturalis ordinis, non est practica, sed distinguitur a prudentia; quæ vero habet pro principiis res fidei, illa etiam est practica habetque rationem prudentiæ : non proxime formaliter, sed regulative, quatenus explicat fidem quæ dirigere potest prudentiam, non solum ut speculativa est sed ut practica. — Et cum dicitur quod potest aliquis esse theologus, et valde imprudens et peccator : respondetur quod tunc manet theologia sine exercitio practico et extensione actuali ad res practicas, non tamen sine essentiali ratione practici; sicut etiam fides potest dari in pecca-

tore sine hoc quod actu se extendat ad exercitium practicum, sive ad virtutes : quod est amittere, non aliquam perfectionem intrinsecam, sed solum extensionem actualem et exercitium circa ordinationem et regulationem practicam virtutum. Eodem modo se habet theologia, quæ in peccatore solum amittit actualem extensionem, et exercitium practicum circa regulationem prudentiæ et virtutum.

18. *Ad confirmationem* negatur antecedens. Ad probationem dicitur, quod Deus respectu amoris sui non indiget prudentiâ neque regulâ aliquâ practicâ directivâ, quia amor ille necessarius est neque regulatur arbitrio seu prudentia, sed simplici cognitione sui; respectu vero amoris creaturarum, scientia Dei non solum est speculativa, sed practica. — *Ad secundam confirmationem respondetur*, quod theologia, tam respectu sui objecti primarii quam secundarii, speculativa est et practica; nam licet primarium objectum, quod est Deus, non sit operabile operatione factivâ, est tamen attingibile operatione morali per amorem, tamquam finis ultimus et regula actionum nostrarum, et sic practice cognoscibilis; similiter virtutes et operationes nostræ etiam sunt speculabiles, et de earum natura et quidditate disserit theologus, et regulative etiam atque directive se extendit ad practicandum de illis; immo non repugnat, quantum est ex ratione formali, eundem actum theologiæ esse simul practicum et speculativum : sicut unico actu fides potest credere Deo, et inflammare in amorem ejus, ad illumque ordinare actus virtutum; licet aliquando ex parte subjecti propter aliquod impedimentum seu limitationem aut fatigationem, non semper possit se explicare theologia in rationem practici et speculativi simul.

19. ULTIMO, ARGUITUR ad probandum quod speculativum et practicum theologiæ non est aliquid eminentius, et simul formaliter tale : Nam speculativum quod est in theologia, eisdem regulis regulatur quibus speculativum in aliis scientiis, scilicet ab eadem logica quæ regulas speculationis omnibus scientiis præbet. — Nec potest dici, quod invenitur in theologia illud speculativum, remotâ imperfectione et limitatione. Nam contra est : quia speculativum illud quod invenitur in scientiis inferioribus, est perfectio simpliciter, et est principium practici. Ergo non est cur negetur theologiæ ex defectu perfectionis. — *Confirmatur* : quia esse eminenter tale, et formaliter tale, opponuntur inter se :

sicut sol non potest esse formaliter calidus, et eminenter. — Nec tenet exemplum de anima rationali, quæ simul est vegetativa formaliter et eminenter; nam vegetativum et sensitivum animæ non sunt species seu genera, sed gradus convenientes eidem formæ; speculativum autem et practicum non se habent ut gradus in scientiis, sed ut species condistinctæ intra idem genus; ergo non possunt formaliter convenire theologiæ, nisi ponatur sub utroque genere: sed si conveniunt, solum erit virtualiter. — Neque est necesse id ponere, ex eo quod theologia dirigit ad finem virtutum; nam alias etiam philosophia moralis esset simul practica et speculativa, quia non solum speculatur naturam virtutum, sed ad earum exercitium dirigit. — Ac denique theologia non est proxima regula praxis, sed id pertinet ad prudentiam; ergo non est formaliter practica, sed tantum virtualiter et remote.

20. RESPONDETUR: speculativum theologiæ eisdem regulis regulari quibus aliæ scientiæ speculativæ, scilicet logicalibus: sed non eadem limitatione qua aliæ scientiæ, sed cum majori eminentia, quatenus non sistit in speculatione, sed extenditur etiam ad praxim; sicut in homine vegetativum utitur eisdem instrumentis, quibus alia animalia, scilicet calore et frigore aliisque qualitatibus: non tamen limitatur ad hoc solum, sed eminentiam habet ad gradum sensitivum et rationalem. — Ad replicam respondetur, quod speculativum ex suo genere est perfectio simpliciter; et sic invenitur in Deo, et participatur in fide et theologia cum eminentia dicta. Ut autem invenitur in inferioribus, est admixtum limitationi et imperfectioni, et hæc separatur in forma altiori, in qua sine tali limitatione invenitur. Et in inferioribus habitibus speculativum est principium practici, tamquam sibi extrinseci; in superiori autem formâ est principium practici, non per realem causationem, sed per virtualem: sicut in Deo unum attributum dicitur ratio alterius, et in ente ipsa entitas est ratio boni et veri.

21. *Ad confirmationem* negatur antecedens. Ad primam probationem respondetur, quod eminenter et formaliter non opponuntur, nisi quando *ly formaliter* importat aliquam imperfectionem ex genere suo, quæ cum eminentia stare non potest; quando autem ex suo genere formalitas non importat imperfectionem, sed solum habet illam adjunctam ex aliqua ratione inferiori, tunc in forma eminenti manet formalitas illius generis, depurata tamen ab imperfectione; et illa

forma dicitur eminenter habere id quod est in inferiori, comparatione ad imperfectionem, qua invenitur in inferiori. — Ad secundam probationem, quando dicitur quod duæ species oppositæ non possunt contineri in forma superiori, sed solum duo gradus, *distinguo*: secundum illas condiciones et rationes, quibus illæ species inter se sunt limitatæ et imperfectæ et diversificatæ, *transeat*; secundum rationem, qua præcise perfectionem dicunt ex genere suo, *nego*. Et sic non repugnat quod non tam species ipsæ inferiores, quam earum perfectio inveniat in aliqua forma eminenti, semotis imperfectionibus: sicut in Deoveniuntur species prudentiæ et scientiæ formaliter, cum eminentia tamen removente imperfectionem et limitationem quam habent in nobis, ubi tamquam species distinctæveniuntur. Unde similiter non repugnabit in formis supernaturalis ordinis participare suo modo hanc eminentiam divinam, ut in se habeant per modum unius ea quæ secundum diversas species limitate et imperfecteveniuntur in inferioribus; ad hoc enim reducit D. Thomas (in hac quæst. a. 5*) quod theologia nostra sit simul practica et speculativa, et similiter donum sapientiæ (II-II q. 45, a. 3 ad 1). — Cum autem dicitur quod theologia non potest poni in utroque genere: respondetur verum esse, quod non ponitur directe in genere practico vel speculativo ordinis inferioris: sed in genere scientiæ superioris, quæ originatur ex principiis supernaturalibus; et sic habet pertinere ad aliud genus tertium, nempe nec practici tantum, nec speculativi tantum, sed ad genus seu speciem eminentiorem utroque. Practicum autem et speculativum solum, sunt differentiæ adæquatæ generis naturalis, et in scientiis quæ sunt præcise ordinis naturalis.

22. *Sed dices*: Cur similiter omnes virtutes supernaturales, ut donum sapientiæ et scientiæ, sicut sunt practicum et speculativum ex participatione divinâ, ita etiam non erunt una sola virtus, quæ simul sit sapientia et scientia, etc., quia hæc omnia in Deo sunt unum? — *Respondetur*, quod de istis supernaturalibus non possumus reddere rationem ex solo nostro discursu, sed ex revelatione per quam nobis constat de illis. Ex revelatione autem constat nobis fidem non solum esse speculativam, sed etiam practicam: tum quia *per dilectionem operatur* una existens, quia dicitur *una fides, unum baptisma, etc.*; tum quia dependet a pia affectione voluntatis, et consequenter subordinatur practicæ

* cf. etiam art. 4

Gal. v, 6
Eph. iv, 5

cognitioni dirigente piam affectionem. Si autem fides est simul practica, etiam id conveniet theologiae quæ ex illa derivatur, et donis Spiritus Sancti quæ illi deserviunt. Quod vero sint una sola virtus donum sapientiæ et scientiæ, aliaque similia dona et virtutes, hoc non constat nobis ex revelatione, sed potius oppositum : quia distinguuntur septem dona Spiritus Sancti (Isa. XI, 2-3) et tres virtutes theologicæ (I Cor. XIII, 13) : *Manent fides, spes, caritas, tria hæc*. Unde non possumus hæc omnia redigere in unam virtutem, sicut possumus uni tribuere practicum et speculativum.

23. Ad ultimam probationem * dicitur, quod philosophia non habet dirigere finem virtutum,

* cf. supra,
p. 401, n. 19
Neque est

neque de ipso fine tractare sub ratione boni et virtutis, licet tractet sub ratione veri et quidditatis : tractare enim de illis sub ratione convenientis et boni, pertinet quantum ad principia ad synderesim, et quantum ad applicationem mediorum ad prudentiam. — Theologia autem licet non sit proxima regula praxis per modum imperii et applicationis (id enim facit prudentia), tamen quantum ad regulationem etiam ordinat de illa ; quia sicut synesis et gnome judicant de his de quibus præcipit prudentia, ita id facit theologia superiori modo ordinando ista judicia synesis et gnomæ : quia id quod facit fides circa illa credendo, facit theologia explicando fidem.

ARTICULUS XI

Utrum Deus sub ratione deitatis sit subjectum theologiæ.

1. **U**T punctus difficultatis resolvatur, supponendum est quod in qualibet scientia differunt subjectum et objectum, et in utroque potest inveniri id quod est formale, et quod est materiale. Objectum scientiæ est aliquid complexum, scilicet id quod per scientiam manifestatur tamquam illatum et probatum, scilicet conclusiones, ut docet S. Thomas (II-II q. 1, a. 1) : scientia enim non cognoscit, nisi probando et inferendo. Quod autem infertur et probatur, est conclusio illata : conclusio autem est aliquid complexum, in quo aliquod prædicatum dicitur de aliquo subjecto ; et illa propositio seu conclusio illata dicitur objectum scibile, id est, id quod scitur et infertur in aliqua scientia. Subjectum autem est illud de quo in conclusione prædicata aliqua seu passiones inferuntur et probantur ; et quia conclusio illata infertur ex aliis prioribus propositionibus, quæ circa idem subjectum aliquid continent, ex quo tamquam per connexionem infertur id quod in conclusione prædicatur : ideo principia et conclusiones in scientia circa idem subjectum versantur ; sed in principiis prædicantur ea quæ sunt per se nota, sicut prædicata essentialia seu definitiones, quæ non probantur per aliud medium : in conclusione autem ea quæ ex istis inferuntur, scilicet passiones.

2. Distinctio autem materialis et formalis in objecto et subjecto ex eo explicatur, quod objectum materiale est illa propositio quæ per illatio-

nem probatur et scitur tamquam veritas illata ; formale vero est ratio illa sub qua, et per quam illustratur et manifestatur talis conclusio : quæ utique in principiis inferentibus invenitur tamquam in medio probativo conclusionis. Et de hoc jam supra diximus *, in theologia esse revelationem virtuales, id est, principia fidei quatenus habent rationem medii probativi alicujus conclusionis. — Subjectum materiale est res illa, de qua aliquid demonstratur in aliqua scientia ; formale vero est illa habitudo, seu ratio, secundum quam subjecta illa considerantur in tali scientia ; et illud subjectum cui primo et per se convenit talis habitudo, dicitur subjectum principale, seu attributionis : v. g. in philosophia, quæ agit de tam diversis corporibus, sicut sunt cælum et elementum et mixta, non quidem sub omni ratione, sed quatenus mobilia. Metaphysica agit non solum de corporibus, sed etiam de immaterialibus quatenus habent rationem entis. Et ideo in philosophia, ipsa corpora sunt subjectum materiale, et ly *mobile* formale ; et res omnes sunt subjectum materiale metaphysicæ : ratio vero entis, formale : et subjectum principale, Deus seu primum ens. Inquirimus ergo quodnam sit subjectum theologiæ, tam formale quam materiale.

3. Omissis ergo antiquorum opinionibus, quarum aliquas refert S. Thomas in I D. 1 *, q. 1, a. 4, et in præsent. art. 7, ubi inquit « assignare

* cf. supra
art. 7, n. 1
sqq. (p. 377)

* revera
I Sent., q.
prologi, a.

aliquos diversa subjecta attendentes ad ea quæ tractantur in ista scientia, non ad rationem secundum quam considerantur »; aliæque sententiæ videri possunt apud Magistrum Bañez et Nazarium[†] et Gonzalez^{††} (hîc, super istum art. 7); Vazquez (disp. 10); Granados (disp. 2 primi tractatûs) :

† controv. 13
(seu : contr. I
in art. 7)
†† disp. 7,
initio

4. SIT ERGO CONCLUSIO : Subjectum attributionis et formale adæquatum est Deus secundum absolutam rationem deitatis, non sub aliquo attributo tantum; subjectum vero adæquatum materiale extensive est quodcumque revelabile a Deo, prout subest virtuali revelationi divinæ. — In hac sententia jam fere omnes conveniunt. Et qui olim aliud subjectum assignaverunt in theologia, consideraverunt diversas res quæ in hac scientia tractantur, non vero rationem ultimam formalem secundum quam pertinent ad hanc scientiam, scilicet in ordine ad Deum, vel quia est Deus, vel quia est aliquid Dei.

4bis. RATIO sumitur ex D. Thoma (hîc, art. 7) : quia theologia est scientia de Deo deducta ex principiis fidei; fides autem habet pro subjecto de quo credit, Deum; ergo Deus secundum ipsam rationem deitatis est subjectum theologiæ. — Major est manifesta : nam theologia significat scientiam de Deo, et ex principiis fidei deducit suas conclusiones, ut hactenus explicatum est. — Minor vero probatur : quia illud est subjectum fidei primum et formale, quod est subjectum visionis in gloria : id enim creditur per fidem, quod manifestatur in illa visione; ibi autem subjectum circa quod est visio beatificans, est Deus in ratione deitatis; reliqua vero quæ per fidem creduntur vel in theologia tractantur, solum tractantur ut sunt aliquid Dei, vel ut pertinent ad ejus mysteria : unde etiam humanitas Christi, quæ maxime cognoscitur in hac scientia, non propter se ultimo cognoscitur, sed ut per illam ad Dei cognitionem ducamur. At vero Deus ita cognoscitur in hac scientia, quod propter se ipsum, et non propter aliam rationem ulteriorem cognoscitur; ergo Deus habet rationem subjecti formalis et principalis. — Unde etiam confirmatur : quia hæc scientia non incipit ab effectibus creatis ut tendat ad Deum, sicut scientia naturalis, sed incipit a Deo immediate prout revelatur per fidem; ergo Deus est subje-

ctum primum et per se de quo agit theologia, quia idem est subjectum scientiæ et principiorum ejus; ergo sicut fides quæ præbet principia theologiæ agit de Deo tamquam de primario subjecto et per se, ita et theologia; licet enim de eodem subjecto materiali possint esse diversæ scientiæ, tamen de eodem subjecto formali, de quo agunt principia alicujus scientiæ, necessario debet agere ipsa scientia.

5. *Nec obstat*, quod objectum formale fidei non est Deus sub ratione deitatis, sed sub ratione veritatis primæ ut testificantis; ergo similiter objectum¹ theologiæ non potest esse Deus sub ratione deitatis, sed sub ratione veritatis revelantis. — *Respondetur*, quod veritas prima revelans dicitur esse objectum formale fidei, non subjectum : est enim ratio formalis testificandi, sub qua veritas fidei attingitur; sed Deus sub ratione deitatis, seu secundum se, est subjectum primum de quo fides veritates istas credit, vel in ordine ad quem cognoscit illas; et similiter in theologia subjectum de quo demonstrat veritates est Deus, non solum attributum veritatis primæ : siquidem de omnibus attributis agit, ut tamen per revelationem veritatis primæ testificantis cognoscuntur, immediate in fide, virtualiter autem et mediate in theologia; sed subjectum de quo demonstrantur, est Deus.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

6. PRIMO, ARGUITUR ad probandum Christum esse subjectum adæquatum formale theologiæ, ex illo (I Cor. II, 2) : *Neque existimavi me scire aliquid inter vos nisi Jesum Christum, et hunc crucifixum*; ergo neque theologia debet scire aliud; ergo Christus est subjectum adæquatum hujus scientiæ : illud enim est adæquatum subjectum scientiæ, in qua non scitur nisi illud. — *Confirmatur* : quia Christus, ut dicit caput et membra, includit omnia quæ in ista scientia possunt cognosci; includit enim Deum, qui est caput, *caput enim Christi, Deus*; includit humanitatem; includit omnia membra Christi, quæ sunt omnes Angeli et homines; ergo extra Christum, ut dicit caput et membra, non tractat aliquid ista scientia; sicut etiam omnia quæ tractat includuntur in rebus, et signis : nam creaturæ sunt signa Dei, et Deus significatur per illas.

I Cor. 2

¹ Ita omnes // Forte melius legeretur : *subjectum*.

7. RESPONDETUR, quod Paulus non tractat ibi de subjecto fidei vel theologiæ secundum se, sed de modo quo se gessit erga Corinthios in prædicando fidem : quia scilicet prædicavit illis non statim ea quæ ad mysteria divinitatis pertinent, sed quæ ad humanitatem et passionem Christi, ut sic manuduceret illos ad cognitionem deitatis : quæ est expositio S. Thomæ (I ad Annibald. D. 1 *, q. 1, a. 2 ad 4). Unde signanter dicit *inter vos*, ut explicaret se loqui in casu particulari suæ prædicationis, in qua manifestavit mysteria Christi quantum ad ea quæ humilitatis sunt.

8. *Ad confirmationem respondetur* : illa omnia pertinere ad subjectum materiale et extensivum, non tamen explicare id quod est rationis formalis in tali subjecto in ordine ad scientiam ; nam licet Christus includat Deum, tamen etiam includit naturam humanam et membra ejus mystica, et sic complectitur omne objectum materiale et extensivum : non tamen explicat formalem rationem secundum quam omnia ista attinguntur, quæ est solus Deus ; quia omnia alia se habent ut medium deducens nos ad divinitatem, Deus autem se habet ut ratio attingendi omnia alia, et non reducibilis ad ulteriorem rationem. Quare si objectum vel subjectum adæquatum sumatur pro adæquato ex parte materiæ, seu objecti materialis et extensivi : sic non est solus Deus, sed etiam ea quæ Dei sunt, et effectus ejus. Si vero *ly adæquatum* sumatur pro adæquato formali, id est, pro subjecto in cujus ratione, et per habitudinem ad quod cetera tractantur : sic adæquatum subjectum formale est solus Deus.

8^{bis}. SECUNDO ARGUITUR ex P. Arrubal (hîc, disp. 6, c. 3 *) : non solum Deus, sed etiam alia æque proprie habent connexionem cum rebus fidei ; ergo tam proprie versatur theologia erga illa, quam erga Deum. — Antecedens præterquam quod experientiâ ipsâ constat (quia multa ex rebus fidei colligimus quæ non sunt Deus, et ita D. Thomas in I D. 1 *, q. 2, a. 4, ponit pro objecto primario Deum, non pro adæquato), ulterius probatur : quia adæquatum objectum et subjectum debet sumi ex formali ratione scientiæ : quidquid enim participat de ratione ejus formali pertinet ad talem scientiam ratione connexionis quam habet cum illa ratione formali ; sed plurima alia præter Deum revelata sunt, et ex illis tamquam ex revelatis plura colligi possunt ; ergo non

est solus Deus adæquatum objectum formale. — *Confirmatur* : quia etiamsi Deus nihil de se revelasset, sed de aliis, tamen adhuc daretur vere et proprie fides circa illa, et vera theologia circa ea quæ ex illis colligerentur ; ergo Deus non est per se objectum theologiæ, sicut neque fidei. — *Confirmatur secundo* : quia Deus non est subjectum adæquatum metaphysiçæ licet sit principale et primarium, ex eo quod principia metaphysiçæ non solum Deo, sed etiam aliis rebus applicari possunt ; ergo ob eandem rationem theologia non habebit pro objecto adæquato Deum, quia ejus principia etiam aliis applicari possunt.

9. RESPONDETUR negando antecedens. — Ad primam probationem respondetur, quod multa demonstrantur ¹ de aliis quam de Deo tamquam de subjectis extensive et materialiter se habentibus, non tamquam de subjectis diversam rationem formalem dicentibus ; D. Thomas autem ponendo pro objecto primario Deum, etiam ponit illum pro subjecto formali adæquato, ut ex locis supra citatis patet, licet inter objecta cognita ut res, primarium sit : alia vero pertinent ad subjectum materiale et extensivum. — Ad secundam probationem respondetur, quod quidquid participat rationem formalem pertinet ad subjectum materiale et extensivum, si per modum subjecti participantis illam rationem formalem se habeat : non autem ad distinctum objectum formale, et attributionis, sed hoc solum est unum cui cetera subordinantur.

10. *Ad primam confirmationem respondetur*, quod in illo casu fides, vel non esset virtus theologica sicut modo, quia non attingeret Deum ut rem cognitam : et sic neque scientia deducta ex illâ, esset theologia, quæ est scientia de Deo : licet maneret fides divina, quantum ad rationem genericam divinæ fidei, non tamen hæc species fidei quæ est virtus theologica ; sicut spes si non speraret Deum tamquam finem, sed alias res, esset diversa a virtute spei theologiçæ. Vel secundo, dato quod maneret eadem fides quantum ad speciem atomam propter eandem rationem formalem testimonii divini revelantis, et similiter theologia quæ ex illa deduceretur retineret eandem revelationem virtuales, quæ pertinet ad rationem *sub qua* : tamen remoto subjecto primario quod est Deus, de quo modo agit theologia, distingueretur specie ab illa ; quia licet non dependeat scientia a subjecto materiali

* revera :
q. 1 prologi,
a. 2 ad 4

* n. 10

* revera :
1 Sent., q. 1
prologi, a. 4

¹ Ita M || GLCP demonstrantur tam de aliis quam de Deo :

prorsus infelix emendatio.

tamquam a ratione formali, tamen quando subjectum est formale primum, dependet ab illo tamquam a requisito per se ad speciem talis scientiæ; sicut si manente ratione formali metaphysiçæ quæ sumitur ex tali abstractione, tolleretur primum objectum ejus, quod est ens in communi, vel substantia, et solum ageret de aliquo particulari, non maneret metaphysica, quia non esset tam universalis.

11. *Ad secundam confirmationem respondetur*, quod metaphysica non tractat de Deo tamquam de subjecto formali adæquato, seu attributionis, licet agat de illo tamquam de subjecto principali dignitatis: quia subjectum ejus est ens in communi; et ad Deum non ascendit nisi per effectus: non descendit ut a cognito primario ad alia objecta, ut ad secundaria.

12. **ULTIMO ARGUITUR**: illud est subjectum adæquatum formale cui adæquatur formalis ratio sciendi, et in quo adæquate continentur omnes veritates talis scientiæ; sed hoc non convenit Deo tantum, sed enti revelabili, ut abstrahit a Deo et creaturis; ergo illud, et non Deus, est subjectum formale adæquatum. — Major constat: quia non potest aliunde concipi subjectum adæquatum nisi ex adæquatione cum ratione formali; nec possunt veritates illatæ contineri extra subjectum adæquatum; ergo omnes in illo contineri debent, quia ex illo debent inferri. — Minor probatur: nam ratio formalis theologiæ est revelatio virtualis, ut sæpe dictum est: hæc autem non adæquatur soli Deo, quia plura extra Deum revelantur quæ non sunt ipse Deus. Similiter, ex sola cognitione Dei non inferimus omnia quæ in theologia demonstrantur; nec de solo Deo demonstrantur, sed multa de vitiis et virtutibus, de Sacramentis et aliis similibus; ergo potius dicendum est quod subjectum adæquatum est ens revelabile quam solus Deus: sicut illud ponit D. Thomas (in I D. 1*, q. 1, a. 4). — *Confirmatur*: quia nulla scientia probat de suo subjecto, quod sit, sed supponit: ut dicitur in I *Poster.* †; sed theologia probat Deum esse, ut sequenti quæstione patebit; ergo Deus non est subjectum adæquatum ejus.

13. **RESPONDETUR**: illud esse subjectum adæquatum, cui adæquatur ratio formalis primario, et per attributionem: non cui adæquatur extensive et materialiter; sic enim adæquatum objectum scientiæ erit conflatum ex objecto primario et secundario, seu objectum adæquatum

extensive; subjectum autem adæquatum formaliter et primario est solum illud ad quod cetera dicunt habitudinem tamquam ad subjectum attributionis. — Item cum dicitur: illud est subjectum adæquatum, in quo continentur omnes veritates illius scientiæ, *distinguo*: in quo continentur veritates secundum formalem rationem, et per modum objecti primarii, *concedo*; in quo continentur veritates secundum extensionem, et per modum objecti materialis, *nego*. Sufficit enim, ut aliquid sit objectum primum et formale adæquate, quod contineantur in illo omnes veritates non omni modo, sed tamquam in subjecto formali et primario ad quod cetera subjecta referuntur. — Et ad minorem argumenti respondetur, quod revelabilitas fidei adæquatur Deo, ut subjecto attributionis et primario, non ut subjecto extensionis et materiali: revelatur enim Deus, ut principale et primum subjectum: reliqua autem, ut ordinata seu subordinata illi. Et ita tota ratio formalis sumitur ex objecto primario; in subjecto autem secundario solum invenitur participative et extensive, ut derivata a subjecto primario. Et licet omnia subjiciantur Deo generali ratione, quia creata sunt, tamen in theologia speciali modo: quatenus scibilia sunt ex subordinatione ad Deum, ut ad objectum primum revelatum. Similiter omnes veritates theologiçæ, licet non inferantur immediate et ex æquo, ex sola et nuda cognitione Dei: tamen mediate ex ipso inferuntur et per attributionem ad ipsum, quia cognoscuntur ut sunt aliquid Dei, vel ut derivata ab ipso, vel referibilia ad ipsum.

14. *Ad confirmationem respondetur*, quod existentia subjecti non potest probari ab aliqua scientia, a priori, et per medium proprium et intraneum: bene tamen a posteriori per medium ab alia scientia mutuatum, licet sibi deserviens et ministrans; et sic theologia demonstrat existentiam Dei rationibus desumptis a metaphysica, quæ ministrat theologiæ, ut sequenti quæstione videbitur. Et addo quod existentia Dei ut auctoris supernaturalis, a theologia non probatur, sed pure creditur: et sic est proprie subjectum ejus; solum autem ex rationibus metaphysicis probat Deum esse, ut auctorem naturalem.

* revera :
1 Sent., q. 1
prologi, a. 4

† colligitur ex
cap. 1, initio;
ex cc. 9 et 10
(ed. Bekker 71
a 1-16; 76 a
16-20 et 31-36;
76 b 3-6)

ARTICULUS XII

Utrum modus procedendi theologiæ et Scripturæ sit conveniens.

1. **M**ODUS procedendi in theologia potest tripliciter considerari. Primus est modus scientificus, qui præstatur a logica, et est generalis omni scientiæ. Secundus est modus disponendi ipsa principia quantum ad locos arguendi, qui faciunt auctoritatem et vim probativam. Tertius modus est tradendi ipsamet principia theologica quæ sunt veritates Scripturæ, quæ aliquando metaphoris et aliis obscuritatibus et sensibus abundat. De his ergo breviter nos expediemus.

2. **DICO ERGO PRIMO** : Sacra doctrina utitur forma logicali et scientifica in suo processu, respectu conclusionum; respectu vero principiorum se habet ad modum sapientiæ in defendendo sua principia, non probando illa, sed solvendo rationes contra illa, et ex uno principio concesso, arguendo ad aliud. — Ita sumitur ex D. Thoma (in hac quæst. a. 8).

ET PRIMA PARS satis est manifesta : quia theologia est habitus illativus, et procedit per evidentem consequentiam. Evidentia autem consequentiæ non fundatur in aliis regulis quam logicalibus, ut dici *de omni*, et *de nullo*, et aliis similibus : si enim in argumento theologico negatur aliqua consequentia, non probatur nisi per regulas logicales.

3. **SECUNDA** vero PARS, de modo procedendi theologiæ circa sua principia, optime declaratur a D. Thoma (in hoc art. 8) et Cajetano (ibi) : aliquando enim procedit pure theologicè, id est, ex principiis de fide; aliquando accipit aliqua ex aliis scientiis naturalibus quæ illi ministerialiter deserviunt, immo etiam ex probabilibus; et in istis maxime occupatur theologia scholastica, quia magis conforme est nostro intellectui pro hac vita ex naturalibus rationibus juvari ad fidem sive defendendam, sive persuadendam. Circa principia vero pure theologica, scilicet veritates fidei, potest theologia dupliciter procedere et disputare. Primo, ex una veritate fidei arguendo ad aliam, sicut probavit Apostolus (I Cor. xv, 16) quod *si mortui non resurgunt, neque Christus resurrexit*; et similiter contra hæreticos si concedunt unum articulum, possu-

mus ex illo probare alium. Secundo, potest theologus procedere solvendo rationes quæ fiunt contra fidem; et hoc potest fieri evidenter a theologia, licet non ab omni theologo. Et ratio est : quia rationes contra fidem solum possunt esse apparentes et fallaces, eo quod fides est veritatis infallibilis : et sic quidquid est contra illam, non potest habere fundamentum solidum; ergo non potest ex vi sua convincere; ergo est evidenter solubile.

4. An vero possit a theologia evidenter ostendi credibilitas fidei? Aliqui negant, ut Arrubal (hïc, disp. 7, c. 3). Sed tamen una ex evidentiis credibilitatis fidei est solvere evidenter omnes rationes in contrarium; est enim valde credibile quidquid nullâ ratione potest ostendi repugnare veritati : si ergo theologia potest ostendere quod rationes evidenter solvantur, etiam potest ostendere evidenter esse credibile quod proponit. Et præterea : quia licet theologia non possit quando primo acquiritur fides in subjecto, demonstrare sibi ipsi credibilitatem fidei, quia hæc præcedit fidem in tali subjecto, et consequenter theologia quæ generatur ex fide : tamen non repugnat quod theologia alteri demonstrat credibilitatem fidei, ut alter ad fidem convertatur vel in ea confirmetur; sicut dicit Augustinus citatus a D. Thoma (hïc, art. 2), quod « per theologiam fides saluberrima gignitur, nutritur, defenditur ». Et theologi multas accumulunt rationes ad ostendendum evidenter istam credibilitatem fidei, ut disputatione præcedenti * etiam adduximus. Et hoc ideo est quia theologia, cum sit sapientia, potest reflectere supra sua principia defendendo et explicando illa, sicut facit metaphysica respectu suorum principiorum : unde etiam theologus in se ipso potest evidentiam hanc credibilitatis ostendere; licet enim procedat ex præmissis de fide, et consequenter supponat credibilitatem de illa in subjecto : potest tamen amplius illam ostendere adjungendo præmissis de fide aliqua alia principia naturaliter nota, vel per experientiam, et sic probare credibilitatem.

5. **Dices** : Si theologia evidenter solvit rationes contrarias fidei : ergo evidenter cognoscit illam

xiv de Trin.
c. I, n. 3;
P L 42, 1037

* art. I,
præsertim
nn. 12-13

veritatem esse possibilem, et sic saltem habebit evidentiam de possibilitate rei; et si sit aliquid conveniens Deo, etiam habebit evidentiam de existentia, quia in æternis idem est posse et esse. — *Respondetur*, quod evidenter solvere rationes oppositas stat dupliciter: vel ex evidentia fundamenti propriæ sententiæ: vel ex evidentia fallaciæ, et defectûs fundamenti oppositi. Primo modo theologus non solvit evidenter ea quæ sunt contra fidem, quia non habet evidentiam eorum quæ credit, ut ex tali evidentia solvat evidenter oppositum errorem: et sic non reddit evidentem possibilitatem vel veritatem fidei ab intrinseco, et ex proprio fundamento. Secundo modo solvit theologus evidenter, ostendendo quod tale vel tale argumentum non concludit, sed quod habet defectum vel fallaciam; et hæc fallacia seu defectus, sive in principiis, sive in consequentia secundum quam procedit tale argumentum, evidenter ostendi potest a theologo. Ex hoc tamen non concluditur veritas, seu possibilitas rerum fidei quasi intrinseca: sed solum ostenditur non impugnari ab oppositis argumentis, faciendo evidentiam de eorum defectu et fallacia.

6. *Instabis*: Illa veritas fidei impugnatur per suam contradictoriam, scilicet probando quod non ita est; ergo si evidenter ostenditur hanc contradictionem esse fallacem et non veram, evidenter constabit de veritate oppositæ, quia duas contradictorias simul non esse veras lumine naturali evidens est. — *Respondetur*: non constare evidenter illam contradictoriam fidei esse falsam in se, sed quod istæ probationes quibus probatur non sunt efficaces. Ex hoc autem quod una pars contradictoria efficaciter non probatur, et evidenter ostenditur non probari, non continuo fit quod altera pars opposita simpliciter et absolute sit in se vera: sed solum quod ex vi talium probationum non ostendatur falsa.

7. **DICO SECUNDO**: Loca seu principia unde theologus sumit principaliter suas probationes sunt decem, licet non æqualiter ex omnibus sumatur certitudo probationum: sed quædam probant certo et infallibiliter absolute, quædam infallibiliter moraliter, quædam probabiliter. — Sed tamen quæcumque infallibilitas in istis probationibus maxime regulanda est per acceptationem et usum Ecclesiæ, quia ut dicit D. Thomas (II-II q. 10, a. 12): « Maxime habet auctoritatem Ecclesiæ consuetudo, quæ semper

est in omnibus æmulanda, quia et ipsa doctrina catholicorum doctorum ab Ecclesia auctoritatem habet: unde magis standum est auctoritati Ecclesiæ, quam auctoritati Augustini vel Hieronymi vel cujuscumque doctoris. »

8. Igitur primus locus unde sumitur irrefragabile argumentum a theologo, est Scriptura divina: quæ tunc habetur pro canonica, quando sic ab Ecclesia declarata est, sicut declaravit Concilium Tridentinum (sess. IV) qui sint libri canonici. — Secundus locus sumitur ex traditionibus apostolicis sic acceptatis ab Ecclesia; de quibus traditionibus late agunt catholici doctores contra hæreticos hujus temporis, et videri potest Bellarminus (*de verbo Dei non scripto*, lib. IV); Cano (lib. III *de Locis*) et Bañez (II-II q. 1, a. 10 *) et multi alii, qui ab istis citantur. — Tertius locus est consuetudo Ecclesiæ, quæ in omnibus maxime æmulanda est, ut dicit S. Thomas †. — Quartus est ex Conciliis generalibus approbatis a Romano Pontifice. — Quintus est ex declarationibus Romanorum Pontificum, et eorum auctoritate. Ista quinque loca faciunt probationem irrefragabilem, quia præbent principia certa de fide. Et prima duo loca se habent tamquam norma ipsa et regula circa res fidei, alia vero tria tamquam judex a quo discernitur quid sit tenendum de fide: eo quod Ecclesia, Concilia, Pontifices habent potestatem determinandi res fidei. Et sic ex istis quinque locis accipiuntur probationes irrefragabiles.

9. Sextus locus est auctoritas sanctorum Patrum Ecclesiæ. — Septimus est auctoritas theologorum scholasticorum. Ista duo loca de se faciunt auctoritatem ita magnam, quod oppositum est temerarium; sed tamen ex adjunctis etiam possunt facere argumentum infallibile, videlicet si sit unanimes consensus Patrum in exponendo aliquo loco Scripturæ, vel traditione, et sic acceptetur ab Ecclesia. Ubi discerne, quod si auctoritas Patrum vel scholasticorum concors sit circa aliquid quod in materia fidei vel morum grave est, communiter reputatur tamquam approbatum ab Ecclesia: siquidem major et eminentior pars Ecclesiæ sunt ipsi Patres, et doctores; nec ipsi sic concordant, nisi quia Ecclesia virtualiter ita approbat vel definit, vel ex Scriptura deducitur. Unde tale testimonium facit oppositum ad minus proximum errori. Quando vero solum major pars doctorum in aliquam propositionem convenit, et aliqui licet pauci in oppositum: tale testimonium ex se et ex vi propria

Hardouin x
22-23

* præsertim
in fusiore
commentarii
dub. 6
† II-II q. 10
a. 12

non facit majus argumentum quam fundamenta ipsorum doctorum, scilicet testimonia vel rationes quas afferunt : nisi interveniat auctoritas Ecclesiæ, quæ alterius partis sententiam damnet vel approbet. Et non determinamus hic an auctoritas illorum paucorum, vel etiam unius viri docti, faciat opinionem probabilem, quæ tuto et in conscientia sequi possit contra sententiam multorum : de hoc enim agitur I-II q. 19; sed in præsentis solum agimus de locis arguendi et probandi veritatem speculativo modo, non de sequenda opinione probabili practice.

10. Octavus locus est ratio naturalis adducta ex scientiis naturalibus, et firmiter deducta. — Nonus est auctoritates philosophorum. — Decimus auctoritas humanæ historiæ. Ex quibus duo ultima loca, solum faciunt argumentum probabile, quantum est ex propriis. Si tamen conjungatur cum aliqua approbatione Ecclesiæ vel Scripturæ, sicut Paulus (Act. xvii, 28; et Tit. i, 12-13) approbavit aliquorum philosophorum dicta, similiter etiam si historia humana contineat traditiones Ecclesiæ et acta approbata ab ipsa : sic talia loca majorem auctoritatem sortiuntur juxta modum approbationis eis adjunctæ¹. De istis locis latissime disseruit Cano in libro *de Locis*, et videri etiam potest Bañez (super art. 8 hujus primæ quæst.; et II-II q. 1, a. 10*, per plura dubia); Magister Gonzalez (hîc, disp. 8) et alii commentatores D. Thomæ (in præsentis; et in II-II citata).

* præsertim
in fusiore
comment.

11. **DICO TERTIO** : Convenientissime Scriptura utitur metaphoris seu similitudinibus, et [similiter diversos habet sensus. — *Metaphoræ* dicuntur locutiones in sensu, seu suppositione impropria : quando nomen significat unum, et accommodatur alteri quod non significat proprie, sed per quamdam similitudinem vel comparisonem seu translationem; sicut dicitur Deus *ignis consumens*, Christus vocatur *leo*, etc. Ad metaphoram pertinent parabolæ, tropi, similitudines, ænigmata, etc. : hæc enim omnia inducuntur ad significandum rem non immediate et in se, sed per quosdam circuitus seu ambages vel comparationes magis vel minus obscuras vel proportionatas; quibus non solum simplicem aliquem terminum, sed etiam propositiones aliquando significamus, utendo illis parabolis seu similitudinibus. — Sensus autem Scri-

Deut. iv, 24
Apo. v, 5

pturæ in genere sunt duo. Primus est litteralis, secundus mysticus seu spiritualis. Mysticus dividitur in tres, in allegoricum, anagogicum et morale, qui etiam tropologicus dicitur. In litterali includuntur tres, ætiologia, historia, analogia. Metaphoricus, seu parabolicus sensus reducitur ad litteralem. Accommodatitius vero proprie non est sensus expositivus Scripturæ, sed quædam allusio seu comparatio ad aliquid contentum in Scriptura, ad cujus instar accommodamus id quod concipimus.

12. De convenientia utendi metaphoris in Scriptura, optime agit D. Thomas in præsentis (art. 9). Reducitur autem, tum ad id quod tenet se ex parte nostra, quia spiritualia intelligimus per similitudines corporeas, quæ metaphorice se habent ad spiritualia : unde et Christus Dominus non nisi in parabolis loquebatur ad turbas; tum etiam ex parte ipsius Scripturæ : pertinet enim ad ejus majestatem loqui in mysterio et sacramento res ita altas. — An vero omnino necesse fuerit uti metaphoris et similitudinibus? Respondetur ex Cajetano non fuisse simpliciter, id est, omnibus modis vel absolute necessarium : fuisse tamen conveniens et melius. Nam ad simpliciter cognoscendum spiritualia per ordinem ad corporalia, sufficit uti dependentiâ a phantasmatibus, non vero² isto circuitu et comparisonibus metaphoris; constat enim aliquando sine metaphoris nobis proponi et declarari res spirituales. Dixit autem Dionysius « esse impossibile aliter lucere nobis divinum radium, nisi varietate sacrorum velaminum circumvelatum », vel propter dependentiam a phantasmatibus, vel quia juxta modum a Deo statutum in tradendis rebus fidei, aliter impossibile est.

Cælest. hi
c. 1, § 2
P G 3, 1.

QUI SINT SENSUS SCRIPTURÆ.

13. Circa sensus sacræ Scripturæ duo advertenda sunt. — PRIMO, IN GENERALI, circa divisionem assignatam in sensum litteralem et mysticum, optimam esse rationem D. Thomæ quam affert (in præsentis art. 10), qua probat proprium esse Scripturæ habere istos duos sensus : eo quod Deus, qui est auctor Scripturæ, non solum voces sed etiam res potest accommodare ad significandum; unde proprium est sacræ Scripturæ non solum habere sensum litteralem qui est communis aliis scientiis (cum sit sensus ortus

¹ Omnes : *adjuncta*. — ² Intellige : *non vero* [*necesse est*

uti] isto circuitu. Vide Præfationem.

ex significatione vocum), sed etiam habere sensum fundatum in ipsis rebus quas Deus assumit ad significandum : et hic est sensus mysticus seu spiritualis, ad differentiam litteralis qui est sensus significationis vocum non autem rerum.

13^{bis}. *Contra hoc autem est* : quia etiam homines utuntur rebus ad significandum, et non solum vocibus : sicut mappæ in mensa significant prandium, et ramus ante portam, vinum; quomodo ergo dicitur proprium esse Scripturæ uti rebus ad significandum? — *Respondetur*, quod res aliquas designare ad aliquid significandum stat dupliciter. Uno modo generaliter, sicut per modum similitudinis vel parabolæ utimur aliquibus rebus ad circumloquendum, et non solum vocibus. Alio modo possunt res aliquæ designari specialiter ad significandum aliquid modo mystico, id est, per modum finis vel medii, in supernaturalibus seu spiritualibus. Et hoc modo, solum pertinet determinare res ad significandum, ad illum ad quem pertinet ordinare ad spiritualem vel supernaturalem finem : quia solum ipse potest tradere signa certa et determinata erga talem finem; sicut patet quod solus Deus, vel auctoritate ipsius possunt institui Sacramenta, quæ sunt signa gratiæ. Non est autem sic de vocibus, quia voces quibus significamus res supernaturales non sunt aliæ quam usuales et communes in tota republica; neque enim specialem linguam debebat Deus instituere ad communicationem rerum supernaturalium. Unde S. Thomas (*quodlib.* 7, a. 16) absolute docet « in nulla alia scientia præter istam inveniri posse sensum mysticum, seu spiritualem : quia Deus adhibet ad significationem aliquorum ipsum cursum rerum suæ providentiæ subjectarum ». Quia ergo homines non possunt res subjectas divini providentiæ in ordine ad finem talis providentiæ sic determinare, ut significant significatione certâ et determinatâ ea quæ ordinata sunt ad talem finem : ideo non possunt sensum mysticum instituere.

14. SECUNDO, OPORTET IN PARTICULARI DECLARARE IN QUO CONSISTAT QUILIBET SENSUS. — *Litteralis* est ille qui per voces seu litteras Scripturæ intenditur et significatur, sive proprie, sive metaphorice seu parabolice, quia omnia ista fundantur in significatione litteræ seu vocis. — *Sensus mysticus*, seu spiritualis, est ille qui significatur non per voces immediate, sed per ipsas res significatas a vocibus secundum quod sic vel sic ordinantur a Deo. Et hæc est divisio magis

generica et communis. Postmodum sensus mysticus dividitur in tres species; sensus vero litteralis proprie non dividitur in species, quia omnia, sive proprie sive parabolice significantur, fundantur in eadem significatione vocum : quæ potest sic vel sic applicari diversimode, sed non propter hoc variat significationem, sicut nec impositionem vocum. Mysticus vero fundat diversas significationes secundum quod res diverso modo ordinantur a Deo ad significandum, et ideo in diversas species, hoc est significationes, partitur. Sed tamen in sensu litterali inveniuntur diversæ partes, seu modi significandi intra eandem impositionem, de quibus statim agemus.

15. Igitur sensus mysticus seu spiritualis dividitur in tres species, scilicet allegoricum, anagogicum, et moralem qui etiam tropologicus dicitur. Distinguuntur autem secundum quod res aliquæ assumuntur ad significandum secundum diversam ordinationem ad finem spiritualem. Et quidem ut dicit Apostolus (Rom. x, 4) : *Finis legis est Christus*. Christus autem datus est nobis, primo in exemplum, secundo in auctorem gratiæ, tertio in consummatorem gloriæ. Ea ergo quæ nobis significant id quod debemus agere ad imitationem Christi, pertinent ad mores, id est, ad instructionem nostram et exemplum : et sic est sensus moralis seu tropologicus. Quæ vero in lege veteri per umbras et figuras, seu per modum sacramentorum, significabant gratiam et statum evangelicum in quo veritas per Jesum Christum facta est, constituunt sensum allegoricum, juxta illud Apostoli (Gal. iv, 24) de Jerusalem et monte Sinai : *Quæ, inquit, sunt per allegoriam dicta*. Ea vero quæ assumuntur ad significandum statum gloriæ futurum per Christum, faciunt sensum anagogicum, id est, sublimem et superiorem. Unde versus :

Littera gesta docet, quid credas allegoria,
Moralis quid agas, quo tendas anagogia.

15^{bis}. Partes autem, seu modi significandi in sensu litterali tres sunt, historia, et ætiologia, et analogia. Historia est illa quæ simpliciter factum narrat. Ætiologia est quæ assignat causam alicujus dicti, ut cum Christus Dominus assignavit causam libelli repudii : *propter duritiam cordis* Judæorum. Analogia, quando ostenditur veritatem alicujus dicti non repugnare alteri; quod frequenter in novo Testamento et epistolis Pauli invenitur, præsertim in epistola ad Romanos et ad Galatas.

Mat. xix, 8

16. Quod vero attinet ad sensum parabolicum seu metaphoricum, constat illum reduci ad litteralem : quia iste sensus fundatur in significatione vocum, licet translative et metaphorice. Quidquid autem in ipsa vocum significatione fundatur, ad sensum litteralem spectat; cum enim dicimus : « Deus ignis est *; » « vicit leo de tribu Juda **; » « brachium Domini cui revelatum est †? » etc., sensus immediatus et proprius litteræ, id est, a Spiritu Sancto intentus, non est brachium verum, leo verus, ignis verus, sed metaphoricus seu similitudinarius; alioquin, si litteraliter significaret verum ignem, sensus litteralis esset falsus : numquam autem dicendum est quod litteralis sensus Scripturæ est falsus; ergo oportet quod in istis parabolis et metaphoris, sensus litteralis sit ipsa metaphora.

17. Quod attinet ad sensum accommodatitium, ille proprie non est sensus expositivus : sed per allusionem unius rei ad aliam, ea quæ dicuntur de uno applicat alteri per aliquam similitudinem; quod fit juxta arbitrium dicentis, non juxta sensum ab auctore Scripturæ positum et intentum sive in vocibus sive in rebus. — An vero scriptores canonici aliquando usi fuerint testimonio alterius Scripturæ in sensu tantum accommodatitio? Aliqui affirmant, ut ex Jansenio * docet Pater Vazquez (hîc, disp. 14) : ut est illud vulgare quod Matth. II, 15, citatur ex Osea propheta : *Ex Ægypto vocavi filium meum*. Nos in hac re morari non possumus. Videatur Magister Gonzalez (hîc, disp. 10, sect. 4) qui ex Magistro Bañez optime docet, non in sensu accommodatitio, sed in litterali vel mystico illa testimonia adduci. Et mihi sic videtur : quia sensus accommodatitius non explicat nec probat aliquid ex Scriptura, nec veritatem confirmat, sed solum facit allusionem unius rei ad aliam; scriptores autem canonici, quando afferunt aliquem locum ex alia Scriptura, id afferunt in confirmationem seu probationem aut manifestationem veritatis; ergo id afferunt in aliquo sensu probativo, qui utique non est sensus accommodatitius : hic enim omnino negari potest, utpote non intentus a Spiritu Sancto, et sic non probat. Et locus ille Matthæi II, 15, nullo modo utitur sensu accommodatitio : expresse enim dicit : *Ut adimpleretur quod dictum est a Domino per prophetam dicentem : Ex Ægypto vocavi filium meum*; adimpletio autem prophetiæ non potest esse in sensu accommodatitio tantum.

18. *Objicies* : tantam multitudinem sensuum parere confusionem et æquivocationem, et præ-

sertim quia certum est eundem locum Scripturæ posse habere plures sensus litterales; ergo tunc erit æquivocatio in illo loco, nec poterit probari aliquid determinatum efficaciter ex illo, quia quilibet ad alium sensum trahere potest. — *Respondetur* : quod attinet ad sensum litteralem et mysticum, non parere æquivocationem : tum quia mysticus fundatur in litterali, et ad illum dicitur habitudinem et dependentiam : ubi autem unum est propter aliud, non est æquivocatio, sed ordo; tum quia mysticus non pertinet ad voces, sed ad res significatas quæ ad aliud significandum destinantur : æquivocatio autem fundatur in voce, quando significat plura; si vero ipsæ res significatæ etiam significant aliud, non est æquivocatio : sicut voces modo significant conceptus qui sunt signa rerum, et aliquando significant aliquas res quæ sunt signa aliarum, v. g. fumus qui est signum ignis, vestigium quod est signum bovis, sine æquivocatione.

19. Ad id vero quod dicitur eundem locum significare plura litteraliter, admittimus posse eundem locum plures litterales sensus habere, ut docet S. Augustinus (XII *Confess.* * c. 3 et 31, et aliis capp.; et III *de Doctrina christ.* † c. 27), D. Thomas (hîc, art. 10; et *quodlib.* 7, a. 17 †), et communiter expositores (super hunc locum I^æ partis) Bañez ††, Gonzalez *, Zumel **, Molina ***, Vazquez † et alii. Cujus rei plura afferunt exempla. Nobis vero sufficit illud (Psal. II, 7) : *Domine dixit ad me : Filius meus es tu, ego hodie genui te*. Quod de æterna nativitate Christi intelligitur a Paulo (Hebr. I, 5); de resurrectione autem Christi intelligitur ab eodem (Act. XIII, 33) et potest etiam intelligi de nativitate ex matre; certum est autem, quod Paulus cum in illis locis disputaret contra Judæos, non nisi in sensu litterali locum istum intelligeret, alioquin ejus probatio non esset efficax. — Nec tamen sequitur æquivocatio aut confusio ex ista pluralitate sensuum : tum quia sæpe isti sensus habent inter se aliquam similitudinem, seu ordinem : ubi autem est ordo, non est æquivocatio; tum quia multiplicitas sensuum tunc facit æquivocationem, quando est occasio deceptionis; est autem occasio deceptionis, quando in altero sensu potest esse falsitas : quando autem uterque sensus est verus, sicut necessario est hoc ipso quod a Deo est dictus litteraliter, nulla est occasio deceptionis neque æquivocationis : sed potius pertinet ad mysterium et ad majestatem dicentis, quod possit unica oratione plures sensus amplecti et significare.

* Deut. IV, 24
** Apo. V, 5
† Isa. LIII, 1

* *Comment. in suam Concord. c. 11*

Ose. XI, 1

* cc. 30-32;
P L 32, 843-4
† P L 34, 80
†† rectius :
a. 14, ad 5
††† dub. 7
* disp. 10,
sect. 3
** q. 5,
concl. 2
*** disp. 1
† disp. 13